INSTITUTIONES DIALECTICAE AD PRIMAM PARTEM BREVIATI PHILOSOPHICI...

Luis : de Lossada

Digitized by Google

BIBLIOTE[CA N]AZIONALE VITT. EMANUELE
12
34 B
32

17

Digitized by Google

369

Pertence ao P.e ✠ Silvestre Roiz.

INSTITUTIONES

361

DIALECTICÆ

AD PRIMAM PARTEM

BREVIATI PHILOSOPHICI

CURSUS PERTINENTES.

BIBL. DOM. PROF. ROM. IHS

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

AUTHORE

R. P. LUDOVICO DE LOSSADA
è Societate Jeſu, in Regio Salmanticenſi Collegio Theologiæ Profeſſore, & Sacræ Scripturæ Interprete.

SALMANTICÆ:
Ex Typographiâ Antonij Villargordo.
Anno 1743.

Digitized by Google

12.34.B.32

Digitized by Google

APROBACION DE LOS SUPERIORES.

TIENE licencias del Supremo Conſejo de Caſtilla, del Ordinario, y de los Superiores de ſu Religion, el P. Luis de Loſſada de la Compañia de Jeſus, para imprimir eſte Libro intitulado, *Inſtitutiones Dialecticæ.*

SUMA DE LA TASSA.

LOS Señores del Conſejo taſſaron eſtas Sumulas del P. Luis de Loſſada à ocho maravedis cada pliego, como conſta por certificacion de Don Miguel Fernandez Munilla, Secretario de Camara del Rey nueſtro Señor: en Madrid, 2 y Octubre de 1743.

Digitized by Google

FEE DE ERRATAS.

Errat. Corr.

PAG. 31. lin. 18. oppoſitione — appoſitione. Pag. 154. In Tit. Cap. 4. Propoſitione — Propoſitionum.

Pag. 177. lin. ult. relativa —— relativo.

Pag. 240. lin. 17. Letare, Romanis — Letare-Romanis.

Con eſtas erratas correſponde à ſu Original. Madrid y Octubre de 1743.

D. Manuel Licardo de Riberda
Corr. Gen. por ſu Mag.

INS-

Digitized by Google

IHS

INSTITUTIONES DIALECTICÆ, VULGO SUMMULÆ.

NOTIO PRÆVIA DE MUNERE, & objecto Logicæ.

LOGICA, quæ & Dialectica, Magiſtra mentis appellatur; quia in dirigendis intellectûs operationibus tota eſt, lucemque, & regulas tradit, ut in veritatis indagine caveatur ubilibet confuſio, ambiguitas, error. Mentis actus, ſive operatio, eſt interna quædam perceptio, & repræſentatio objecti cujuſque. Vocitatur paſsim hiſce nominibus: *notitia*, *cognitio*, *cogitatio*, *intentio mentis*, *intellectio*, ſive *intellectus*, *conceptio*, ſive *conceptus*, *ſpecies expreſſa*, *formalis imago objecti*, *verbum mentis*. Imaginem, ac verbum hujuſmodi efficit Potentia animæ, quæ *Mens*, *Intellectus*, & *Ratio* dici-

tur: coefficit ſimul objectum, non tam ſe ipſo; quam ope vicariæ virtutis, quæ per ſenſus ad mentem uſque propagata, vocatur *ſpecies impreſſa*. Quò pertinet paræmia Philoſophorum: *Ab objecto, & potentia paritur notitia.*

Sic adumbrata mentis operatio, eſt triplex. Prima dicitur *Simplex apprehenſio*: eſtque prima perceptio cujuſque rei, nondum affirmans quidquam, aut negans; qualis reſpondet vocibus hiſce, *Deus*, *Mundus*, *Homo doctus*. Secunda affirmat, aut negat unum de altero; prout exprimitur his vocibus v.g., *Deus eſt verax*, vel, *Deus non eſt mendax*. Hæc dicitur *Propoſitio*, *Judicium*, *Sententia*, *Aſſenſus* mentis, vel *Diſſenſus*: &, ſaltem expreſſa vocibus, *Enuntiatio*, *Enuntiatum*, *Pronuntiatum*. Continet ſubjectum, prædicatum, & copulam. *Subjectum* eſt, cui aliquid attribuis, aut negas. *Prædicatum*, vel *Attributum*, eſt id ipſum, quod tum negas, vel affirmas. *Copula* dicitur verbum *Eſt*; idque vel explicitum, ut in hac propoſitione, *Homo eſt rationalis*; vel implicitum, ut in hac alia, *Homo cogitat*, quæ ſic redditur, *Homo eſt cogitans*.

Tertia intellectûs operatio ex uno, vel duobus judicijs deducit aliud. Hæc vocatur *Diſcurſus*, *Ratiocinatio*, *Argumentatio*. Quòdſi ex uno duntaxat aliud colligat, dicitur *Enthymema*; v.g. *Otium eſt origo malorum omnium: ergo eſt fugiendum*. Si verò ex duobus judicijs tertium

Digitized by Google

tium inferat, dicitur *Syllogiſmus*; v. g. *Omnis virtus eſt ſublimis; ſed humilitas eſt virtus: ergo humilitas eſt ſublimis.* Propoſitio deducta ex alijs, appellatur *Conſequens*, vel *Concluſio*. Illatio, ſeu deductio ipſa, quam denotat particula *Ergo*, vel *Igitur*, vocatur *Conſequentia.* Præmiſſa in Enthymemate propoſitio dicitur *Antecedens*: quæ verò præmittuntur in Syllogiſmo, prima *Major*, ſecunda *Minor* appellatur.

Hæc in limine prænotanda fuerunt, ut pueris, à Grammaticâ recèns ablactatis, materiamque, & idioma Logices ignorantibus, fax quædam affulgeat, & caligo regionis ignotæ rareſcere incipiat.

Nunc Inſtitutiones Dialecticas, quas & *parvam Logicam*, & *Summulas* vocant, eâ methodo dabimus, ut trium mentis operationum ordinem ſequatur, quoad fieri poſsit, ordo doctrinæ. Nec tamèn de ijs operationibus in ſe ſe; ſed prout vocibus unicuique reſpondentibus exprimuntur, & claritatis, & conſuetudinis gratiâ plerumquè diſſeremus.

DISPUTATIO I.

De Signo, Nomine, & Verbo.

NIHIL *eſt* (inquit S. Auguſtinus De princip. Dial. c. 5.) *de quo non verbis diſputare neceſſe ſit* : *itaque de his primò diſputatur, per quæ de cæteris diſputare conceditur*. Verbum generaliter ſumptum, prout ſcilicet comprehendit omnem, qua loquimur, vocem articulatam, à Magno Auguſtino loc.cit. definitur, *Uniuſcujuſque rei ſignum, quod ab audiente poſsit intelligi, à loquente prolatum*. Hæc definitio reſpicit Dialecticam, quæ non attendit in verbis, quod ſunt, ſed potiùs quod ſigna ſunt.

Itaque verborum ſignificationem explicare, noſtri muneris eſt : quod quia commodè fieri non poteſt, niſi ratio ſigni in communi priùs explicetur, hoc primùm aggredimur. Deindè verò ab explicatâ conſtitutione ſigni vocalis gradum faciemus ad quaſdam ejus ſpecies, quę rem dialecticam propiùs attinent, explicandas. Eæ ſunt Nomen, Verbum ſpecialiter dictum, & Oratio, hujuſque ſpecies multiplex : de quibus omnibus egit Ariſtoteles in Libris 1. & 2. *Perihermeniás*, id eſt, de *Interpretatione*. Cùm autèm interpretatio vocibus potiſsimùm fiat, voces ſunt eorum materia librorum : non quòd de voci-

ci-

Digitized by Google

cibus directè curet Logica, quæ nihil niſi propter directionem intellectûs molitur; ſed quia voces notiores ſunt, ac patentiores, per eaſque, velut mentis interpretes, meliùs innoteſcunt interni conceptus. Quare definitiones Ariſtotelicæ in libris *Perihermeniás* de ſolis ferè vocibus loquuntur. Poterunt tamèn conceptibus, aut etiam ſcriptis aptari, ſi loco *vocis ſignificativæ ad placitum* (quæ paſsìm pro genere ponitur) ſubſtituatur *ſignum*, aut *ſignificativum.*

CAPUT I.
QUID SIT SIGNUM, ET QUOTUPLEX?

1 RES eas, quæ ad ſignificandum aliquid adhibentur, ſigna vocamus. Signum in communi definiri poteſt, *Medium, cujus interventu manifeſtatur potentiæ cognoſcitivæ objectum aliquod.* Accipitur *medium* pro eo, quod eſt inter duo extrema, poniturque loco generis. Reliqua verba exprimunt extrema Signi propria, videlicèt potentiam cognoſcitivam, & objectum aliquod: exprimunt etiam vim, ſeu munus proprium iſtius medij, nempè objectum reddere potentiæ manifeſtum: proinde differentiam Signi continent ab omni non Signo.

2 Quare de ratione Signi eſt inter duo extrema intervenire, & utrumque hinc inde reſpicere; diverſimodè tamen. Nam alterum reſpi-

Digitized by Google

cit ut *quod ſignificat*, nempè objectum, quod idcircò denominat *ſignatum*, vel *ſignificatum:* alterum, ut *cui ſignificat*, nempè potentiam cognoſcitivam cum omnibus, quibus ipſa completur ex parte actûs primi. Potentia cognoſcitiva ut ſic, non modò comprehendit intellectivam, & imaginativam, ſed omnes quòque ſenſus externos, etiam brutorum; quia ijs omnibus manifeſtantur, & percipiuntur aliquot objecta.

3 Ex datâ definitione inferes 1., in omni ſigno importari aliquod genus diſtinctionis, tum à ſignato, tum à potentiâ cognoſcitivâ: diſtinctionis, inquam, ſaltem rationis, vel realis quoad circunſtantias. Nihil enim *intervenit*, aut *medium* eſt, niſi inter extrema aliquatenùs diſtincta. Inferes 2., non eſſe omninò idem *repræſentare*, ac *ſignificare*: nam quodvis objectum, ſeclusâ omni diſtinctione, ſe ipſum repræſentat, ſeu præſens facit: nec tamen ſe idcircò ſignificat, aut ſui ipſius ſignum appellatur.

Signi diviſiones variæ.

4 DIVIDITUR 1. Signum generaliter, in *formale*, & *inſtrumentale*. Signum formale eſt ipſa formalis notitia objecti, illa ſcilicet forma, *quæ informando potentiam cognoſcitivam ſe ipſa notum illi reddit objectum*. V. g. actus intellectûs, quo Cælum cognoſco, mihi eſt Cæli ſignum formale: quod pariter intellige de viſione oculari, & ſenſatione qualibet reſpectu objec-

objecti ſui. Signum inſtrumentale eſt, *quod priùs cognitum ducit in cognitionem alterius objecti.* Sic vox *homo* eſt inſtrumentale ſignum hominis. Sic etiam gemitus dolorem ſignificat, fumus ignem; & veſtigium animalis tranſitum ejuſdem.

5 Duo iſta ſignorum genera differunt in eo, quòd inſtrumentale debet priùs cognoſci, quàm ſignatum; priùs enìm eſt cognoſcere fumũ, quàm inde in cognitionem ignis devenire: formale verò non ita; quia non priùs cognoſco meam cognitionem, aut viſionem coloris, quàm colorem ipſum. Unde formale ſignum vocari ſolet *medium quo*; inſtrumentale autèm, *medium in quo*, vel *ex quo*.

6 Signum formale totidem habet ſubdiviſiones, quot notitia, ſive cognitio. Eas proindè Animaſtica dabit; & interìm aliquas in decurſu attingemus.

7 Signum inſtrumentale ſubdividitur trifariàm. Nam 1. aliud eſt *ſenſibile*, *aliud inſenſibile*. Signum ſenſibile eſt, *quod poteſt percipi ſenſibus corporeis*. Hoc ipſum eſt, quod explicat celebris definitio Signi à S. Auguſtino tradita lib. 2. de Doctr. Chriſt. cap. 1., nempè, *Res, præter ſpeciem, quam ingerit ſenſibus, aliud aliquid ex ſe faciens in cognitionem venire*: vel, ut ait idem S. Doct. lib. de Princip. Dialect. cap. 5., *Quod & ſe ipſum ſenſui, & præter ſe aliquid animo oſtendit.* Tales ſunt voces, quibus loquimur: talia

quoquè ſunt Sceptrum, Baculus, aliaque Regum, & Antiſtitum inſignia: item fumus, gemitus, feræ veſtigium, &c.

8 Signum inſenſibile eſt, *quod à ſolo intellectu cognoſci poteſt* (ſupponitur ſemper in his, & ſequētibus definitionibus quidquid eſt de ratione Signi in communi). Tale ſignum eſt quælibet entitas ſpiritualis, in quâ, vel ex quâ homo, vel Angelus Deum cognoſcit, aut aliud objectum. Non eſt confundenda partitio iſta cum eâ, quæ ſignum dividit in *corporeum*, & *ſpirituale*: nam hęc magis congruit ſigno in communi; cum etiam ſignum formale poſsit eſſe interdùm corporeum, ut ſenſatio, interdùm ſpirituale, ut intellectio.

9 2. inſtrumentale ſignum; aliud eſt *naturale*, aliud *ad placitum*, aliud *ex conſuetudine*. Signum naturale eſt, *quod ſuapte naturâ vim habet manifeſtandi*. Sic ſuſpiria, & gemitus ſunt ſigna doloris. Signum ad placitum (quod etiam ſignum *ex inſtituto*, vel *ex inſtitutione*, vel *arbitrarium* vocatur) eſt, *quod vim manifeſtandi ſortitur à liberâ voluntate*. Libera voluntas poteſt eſſe vel Dei, vel hominis, vel Angeli. Unde alia ſigna ſunt ad placitum Dei, ut Sacramenta reſpectu Gratiæ, & Iris reſpectu non futuri Diluvij generalis: alia ad placitum hominum, ut militaria ſigna, campanæ ſonitus ad Miſſam, vocabula cujuſvis idiomatis, &c.: alia denique ſunt, vel eſſe poſſunt ad placitum Angeli. Signum ex con-

Digitized by Google

conſuetudine eſt, *quod per conſuetudinem adquirit vim manifeſtandi aliquod objectum.* Sic mappa, dum menſæ imponitur meridiè, ſignum eſt prandij: ſic etiam canis, qui herum præcedere conſuevit, eſt ſignum venientis heri.

10 Omne formale ſignum eſt naturale. Sed nupera ſubdiviſio trimembris non niſi ad inſtrumentale accomodari poteſt. Porrò ſignum naturale duas habet proprietates. Prima eſt, quòd idem ſignificat ubique gentium: ſecunda, quòd nequit ſignificationem exuere, aut mutare; vel, ut ajunt, nequit à ſuâ ſignificatione deponi. Contrà accidit in ſignis ad placitum, & ex conſuetudine: nam conſuetudo, & placitum non eadem ſunt apud omnes gentes; poſſuntque mutari, aut aboleri per deſuetudinem, vel contrariam voluntatem.

11 3. inſtrumentale ſignum, aliud eſt *doctrinale*, aliud *purè manifeſtativum.* Doctrinale eſt, quo utimur ad docendum alios: cujuſmodi ſunt vocabula ore prolata, vel ſcripta. Purè manifeſtativum eſt, quod ita ſignificat, ut per ſe non ſit idoneum ad docendum artes, aut ſcientias, v. g. campanæ ſonitus, aut tubæ clangor. Doctrinale vocari ſolet *ſuppoſitivum*, eo quòd ſupponatur, vel accipiatur pro re, quam ſignificat. Imagines artificiales computari poſſunt inter ſigna ſuppoſitiva; immò & inter doctrinalia, cum multa etiam ad artes ſpectantia doceantur homines per imagines. Re-

Digitized by Google

12 Redeo ad Signum in communi: quod 2. dividitur generaliter, in *practicum*, & *ſpeculativum*. Practicum cauſat, quod ſignificat, ut Sacramenta gratiam. Speculativum ſignificat, & non cauſat rem ſignificatam, ut vocabula narrationis hiſtoricæ. Diviſio iſta congruit etiam ſigno formali: nam aliæ cognitiones practicæ ſunt, aliæ ſpeculativæ.

13 Dividitur 3. in *demonſtrativum*, *rememorativum*, & *prognoſticum*. Quorum primum indicat rem præſentem, ut gemitus dolorem: ſecundum, rem præteritam, ut cinis ignem: tertium, rem futuram, ut Sol, quando *Cæruleus pluvias prænuntiat*, *igneus euros*, ſiqua fides Maroni. Hæc tria munera poſſe in eodem ſigno conjungi reſpectu diverſorum, oſtendit D. Thomas 3. p. q. 60. art. 3. exemplo Sacramenti; quod ſignum eſt, & rememorativum Paſsionis Chriſti Domini, & demonſtrativum gratiæ, & prognoſticum futuræ gloriæ. Diviſionis iſtius exempla facile eſt etiam invenire in ſigno formali.

14 Dividitur 4. in ſignum *fallibile*, & *infallibile*. Nam quædam ſigna ſunt, quorum connexio cum ſignato interdùm fallit, ut cum fictæ lachrymæ dolorem ſignificant: quædam verò, quorum connexio cum ſignato certa ſemper eſt, ut in aurorâ prænuntiante Solis adventum. Connexio ſigni cum ſignato poteſt eſſe vel metaphyſica, vel phyſica, vel moralis; & totidem modis in-

infallibilitas. Dividitur denique in *corporeum*, & *ſpirituale*, juxta dicta ſuprà num. 8.

CAPUT II.

NONNULLÆ OBJECTIONES SOLVUNtur: & quædam adnotantur.

15 CONTRA doctrinam capitis præcedentis *objicitur* 1.: D. Auguſtinus nullum ſignum agnovit præter inſtrumentale & ſenſibile; ideòque non aliter ſignum definivit, niſi verbis ſuprà exaratis n. 7.. Idem ſentire videtur D. Thomas 3. p. q. 60. art. 4. ad 1.: nec Ariſtoteles aliûs ſigni mentionem fecit. Immeritò igitur à nobis admiſſum eſt ſignum formale, inſenſibile, & incorporeum. *Reſp.* Circa nominum extenſionem, & proprietatem ſtandum eſt uſui; *Quem penès arbitrium eſt*, & *norma loquendi*, ut ajebat Horatius. Jam autem uſus obtinuit apud Dialecticos, ut nomen *ſigni* comprehendat medium quodlibet manifeſtativum objecti, extendaturque proinde ad cognitiones, & ad media quævis incorporea: quem uſum jam invaluiſſe tempore D. Thomæ, fatentur objicientes.

16 Nec ipſe D. Thomas illum improbat. Nam in loco citato ex 3. p. ſolùm ait, *quòd primò, & principaliter dicuntur ſigna, quæ ſenſibus offeruntur*: atque ita intelligit definitionem

D.

D. Auguſtini. Benè autem cohæret, quòd nomen ſine improprietate extendatur ad alia præter ea, quibus primò & principaliter tribuitur, ut patet in nomine *vegetabilis*, & in nomine *animalis*, quorum alterum plantis, alterum brutis attribuitur primò & principaliter. Immò, ut ait cum S. Auguſtino S. Thomas cit. q. 60. art. 6., *Verba inter homines obtinuerunt principatum ſignificandi*. Num ideò nutus, gemitus, fumus non propriè ſignificabunt?

17 *Dices*: D. Thomas aliquando indicat, non propriè vocari ſignum, niſi quod eſt ſenſibile. *Reſp.* Adverbium *propriè* (ut notat Cardin. Cajetanus in 1. p. q. 33. art. 2.) poteſt accipi tum contra *metaphoricè*, tum contra *communitèr*: & hoc ſecundo modo accipitur à D. Thoma in re præſenti, ut colligi poteſt ex ejus verbis q. 9. de verit. art. 4. ad 4. Quando autèm ſic ſumitur, idem valet *propriè*, ac *ſpecialitèr*, & quaſi *antonomaſticè*: quo ſenſu poteſt utique nomen aliquod non propriè dici de re quapiam, & tamèn dici ſine metaphorâ, vel improprietate.

18 Sic apud Grammaticos omne vocabulum appellatur *verbum*, & *propriè* quidem, id eſt, non metaphoricè: & tamèn *propriè*, id eſt, ſpecialitèr, ſola vox conjugabilis per tempora *verbum* appellatur. Hoc ipſum de vocabulo *nomen* oſtendit S. Auguſtinus lib. de Magiſt. cap. 5.. Itaque appellatio *ſigni*, communiter ſeu ge-

ne-

neraliter ſumpta, comprehendit ſine metaphora ſignum inſenſibile; tametſi ſpecialiter & quaſi antonomaſticè attribuatur ſoli ſenſibili, quia hoc nobis eſt notius, & uſitatius.

19 *Objic.* 2.: habere vim manifeſtandi à liberâ voluntate, non eſt proprium ſolius ſigni ad placitum: nam imago Cæſaris non eſt ſignum ad placitum; & tamèn vim manifeſtandi habet à liberâ voluntate artificis. *Reſp.*. Imago ſolùm pendet à liberâ voluntate in exiſtendo, non in repræſentando. Id eſt: figura imaginis habet quidem à voluntate artificis, quòd exiſtat: at quòd ſemèl exiſtens repræſentet Cæſarem, jam non pendet ab artificis arbitrio. Contrà evenit in voce *panis* v. g., quæ, ſi nolint homines ut panem ſignificet, nequaquam ſignificabit, quantumcumque exiſtat.

20 Non eſt dubium, quin naturale ſignum poſsit à libertate dependere in exiſtendo: ſic enim ſæpè accidit in riſu, gemitu, ſuſpirio, immò ſemper in voce qualibet articulatâ, quæ, cum ſit naturale ſignum proferentis, & imaginationis, à qua oritur, nihilominùs liberè profertur. Nunquam tamen naturale ſignum à libertate pendet in ſignificando, ſuppoſitâ exiſtentiâ: & in hoc differt à ſigno ad placitum, quod ultra exiſtentiam requirit liberam voluntatem ad ſignificandum. Doctrina hæc procedit dumtaxat in imagine, quæ verè ſit ſimilis exemplari ſuo: nam ſi qua

ima-

imago pro libitu proponatur ad repræſentandum id, quod re vera non exprimit, illa tùnc erit ſignum ad placitum.

21 *Objic.* 3.: ſignum ex conſuetudine reducitur ſemper vel ad ſignum ad placitum, vel ad naturale: immeritò igitur velut tertia ſigni ſpecies ſtatuitur. *Prob. Antec.*: quia conſuetudo, & ejus ſignificatio, ſemper fundatur vel in placito, vel in natura; ut patet in exemplis n. 9.: conſuetudo quippè menſam ſternendi mappis ante prandium, fundatur in hominum placito: canis autem conſuetudo præveniendi dominum, fundatur in naturâ canis.

22 *Reſp. neg. Antec.* cum probatione. Nam, ut ijſdem utar exemplis, etiamſi menſam operientes mappâ non intendant ſignificationem, nec de illâ cogitent, ſed tantùm de munditie, vel commodo prandentium, nihilominùs apparatus ille prandium ſignificabit vi conſuetudinis: Nec ex naturâ canis quiſquam colliget adventum domini, niſi noverit, hunc in individuo canem ſolitum eſſe comitari dominum, & præire: plures enim ſunt canes, qui dominum ſubſequi aſſueſcunt; plures etiam, qui ſeorſùm incedere ſolent. Nec refert, quòd conſuetudo ipſa in exiſtendo pendeat aliquatenùs à naturâ, vel placito: non enim ideò pendet immediatè in ſignificando; ſicut de imagine nuper diximus.

AN-

ANNOTANTUR ALIQUA CIRCA Signum.

23 VARIA hìc de ſigno diſputari poſſent: quorum pleraque in noſtris Summul. fuſior. invenies. In præſenti nonnullis annotationibus contenti erimus. *Prima* ſit: Cauſa poteſt eſſe *propriè* ſignum ſui effectus, ſi nimirùm ducat in cognitionem ejus, licet effectus, præſertim ſenſibiles, quia nobis plerumquè ſunt notiores, dicantur ſigna cauſarum frequentiùs & ſpecialiùs, quàm è converſo; ideòque vocari ſolet demonſtratio *à ſigno*, illa, quæ eſt à poſteriori, ſeu ab effectu. Ita monet expreſſe D. Thomas q. 9. de verit. ar. 4. ad 5., concludens in hæc verba: *Undè quandoquè accipimus effectus ut ſigna cauſarum, ut pulſum ſanitatis: quandoque verò cauſas ſigna effectuum, ſicut diſpoſitiones corporum cæleſtium ſigna imbrium, & pluviarum.* Quare dum alibi oppoſitum indicat Angelicus Doctor, interpretandus eſt ut ſuprà n. 17.

24 Hinc infertur falſum eſſe, quòd plures docent, omne ſignum eſſe ignobilius, aut imperfectius ſignato, ſaltem in eſſe objecti. Non enim cauſa debet eſſe effectu ſuo ignobilior, etiam in eſſe objecti ducentis in cognitionem effectûs, ut obvijs exemplis perſpicuum eſt. Objici ſolet D. Auguſtinus lib. de Magiſt. cap. 9.. Sed immeritò. Nam inprimìs tantùm ibi loquitur de ſignis ad pla-

placitum. Ac deindè *falſum eſſe* concedit, *res omnes ſignis ſuis præponi oportere*: ſolùmque intendit, ut ſigna vocalia dicantur ignobiliora, non rebus ſignificatis, ſed cognitione ipſarum; quod ultrò fatemur. Certè nomina hæc, *peccatum*, *nihil*, *hirco-cervus*, longè præcellunt ſignificatis.

25 *Secunda* ſit: Aliqui, præſertim Thomiſtæ, varias conditiones requirunt, ut vera ratio ſigni ſalvetur. Sed regula generalis eſſe debet, quòd verè ſignum eſt omne id, cui convenit definitio ſigni, ſicut verè eſt homo id omne, cui convenit hominis definitio, ſive adſint, ſive deſint aliæ conditiones: definitio, inquam, ſigni, quam dedimus n. 1., vel etiam hæc alia, *Objectum, quod potentiæ cognoſcitivæ aliud à ſe repræſentat*, quæ Thomiſtis placet, & eumdem ferè ſenſum habet, ac noſtra.

26 Undè inferes, poſſe duo invicem ſigna eſſe, adeoquè poſſe aliquid eſſe ſignum & ſignatum reſpectu ejuſdem. Patet hoc in conceptu vocabuli pronuntiandi, qui conceptus vocabulum ſignificat, & à vocabulo ſignificatur. Patet etiam in causâ & effectu, quæ ſicut ſe mutuò repræſentant, ita ſe mutuò ſignificant. Quòd ſe mutuò repræſentent, docet D. Thomas *q. 7. de ver. art. 5. ad 6.* dicens: *Cauſa repræſentat effectum, & è converſo: & ſecundùm hoc Deus poteſt dici Liber creaturæ, & è converſo.* Hinc poteſt etiam (ut aliqui opinantur) Deo tribui munus Signi reſpectu creaturarum, quatenùs in

eo

eo cognoſcibilium ab intellectu creato, ſicut ipſi tribuitur à D. Thomâ munus Libri, & munus repræſentandi: quia ratio ſigni ut ſic, præſcindi poteſt ab omni imperfectione. Cognitio autem rei per ſignum, non neceſſariò eſt diſcurſiva, ut item docet D.Thomas *q. 9. de verit. art.4. ad 4.*

27 *Tertia* ſit: ſignum, quando non actualiter ſignificat (quando ſcilicet à nemine percipitur), vocatur *ſignum in actu primo*: quando verò ſignificat actualiter, dicitur *ſignum in actu ſecundo*. Eſſe tamen ſignum in actu primo, ſufficit, ut abſolutè & ſimpliciter appelletur *ſignum*: quia hoc nomen communi uſu non tam exercitium ſignificandi, quàm aptitudinem proximam denotat: ſicut etiam definitio ſigni, licèt videatur exercitium ſonare, contenta eſt aptitudine proximâ, juxta dialecticum adagium, *Verba in definitionibus non ſonant actum, ſed aptitudinem.* Hinc, qui ſuſpirat, & gemit, etiam ſine teſte, dicitur edere ſigna doloris. Hæc intellige de ſigno inſtrumentali: nam formale, cùm in actuali repræſentatione conſiſtat, ex propriâ indole ſpecificâ ſemper eſt ſignum in actu ſecundo.

28 *Quarta* ſit: Signum conſtituitur formaliter per eam formam, aut quaſi formam, qua redditur manifeſtativum objecti à ſe diſtincti. Quæ forma in ſigno naturali nihil eſt aliud, quam intrinſeca connexio, vel ordo, quem naturâ ſuâ importat ſubjectum ſigni ad rem ſignificatam: ubi

etiã imbibitur reſpectus ad potentiam cognoſcitivam, quam utique reſpicit illa connexio, vel ordo, quatenùs cognoſcibilis in eſſe talis. In ſigno ex conſuetudine forma eſt conſuetudo ipſa certæ ſpeciei, ſaltem prout antecedenter cognita, & conjuncta cum actu aliquo præſente. Forma ſigni ad placitum explicabitur in ſigno vocali cap. ſeq.

CAPUT III.

DE SIGNO VOCALI.

29 QUÆLIBET humana vox articulata, & ſe ipſam naturalitèr manifeſtat audienti, & inſuper naturale ſignum eſt perſonæ proferentis, necnon voluntatis, imaginationis, & conceptûs de voce ipſâ; quiſquis enim volens loquitur, prænoſcat neceſſe eſt vocem, quam proferre vult. Præter hæc, de quibus nulla eſt quæſtio, reperitur in vocibus, ad loquendum adhibitis, aliarum rerum ſignificatio. Nam vox *leo* ſignificat ferarum principem, vox *homo* rationale animal, & ſic cæteræ, quibus ſermo conſtat humanus.

30 Significatio iſta proculdubiò provenit, non à naturâ vocum, ſed ab arbitratu rationalis Agentis. Quòd ſi interdùm dicitur ſermo eſſe naturalis homini, non ideò innuitur, quòd natura determinat ſignificatum vocibus, ſed ſolùm quòd natura humana inclinat ad loquendum, & ad eum finem appetit inſtitutionem alicujus idiomatis, cujus tamen formam relinquit induſtriæ. Sic homi-

mini naturale eſt veſtem appetere, domique habitare : ſed non ideò veſtis, domuſvè, deſinit eſſe opus artis. Undè ſermo aliter eſt naturalis homini, quàm latratus cani; huic ſcilicet proximè, & completè; illi verò remotè, & initialitèr.

31 Sunt quidèm nonnulla nomina, quæ aliquam in ſono ipſo proportionem habent cum rebus ſignificatis; ſicut habent in Latinâ linguâ *tinnitus*, *barritus*, *coaxo*, *vepres*, & aliæ voces per onomatopæiam formatæ, in quibus ſonus ipſe quodammodò res ſignificatas imitatur. Eædem tamen potuerunt rebus alijs aptari : & plerumquè voces, quibus loquimur, tali congruentiâ carent. Quid lenius voce *leo* ? Quid re ſignificatâ ferocius?

32 Vocum itaque ſignificatio provenit ab arbitratu, ſeu liberâ inſtitutione rationalis Agentis; ideoquè dicitur ſignificatio *ad placitum*, aut *ex inſtituto*. Si quæras, quomodò potuit incipere ſignificatio iſta, cùm nullæ præceſſerint voces ſignificativæ, per quas primus Inſtitutor ſignificaret, quid vellet? *Reſp.* Primus idiomatum inſtitutor fuit Deus ipſe, qui & primis parentibus Hebraicæ linguæ notitiam indidit, & Linguas ſeptuaginta duas diviſim infudit mentibus hominum in turri Babél. Ex his autem matricibus Linguis, quas homines deindè juncturâ, derivatione, & acceſsione vocabulorum locupletarunt, cæteræ poſtmodùm prognatæ ſunt, ſicut ex Latinâ prodierunt Italica, Hiſpanica, Gallica. Adde, quòd po-

tuit humanus Inſtitutor nutibus & prǫſentiâ rerum indicare, quid vellet, & inventis hoc modo nonnullis vocabulis, eorum interventu nova cudere.

Conſtitutio ſigni vocalis ad placitum.

33 JAM circa formam, qua vox conſtituitur ſignificativa ad placitum, variæ ſunt Auctorum ſententiæ. Sed breviter dicimus ex communi Scholæ noſtræ ſenſu, eam formam conſiſtere in extrinſecâ impoſitione, ſive inſtitutione, id eſt, in voluntate Inſtitutoris cujuſque linguæ: quæ voluntas, dum ſtatuit, ut auditâ voce *leo* v.g., intelligatur talis fera, ſimul exercitè & formalitèr reddit vocem ſignificativam, eſtque proinde forma ſigni *in actu primo*, vel ſignificatio in aptitudine proximâ. De hac tantùm in præſenti loquimur: nam ſignificatio actualis, ſive *in actu ſecundo*, conſiſtit in cognitione rei prout excitatâ ex auditione vocis, ut clarum eſt.

34 Hæc doctrina probatur brevitèr: quia præcisè intellectâ impoſitione, ſeu voluntate illâ, ſaltem prout poſteris notâ, & acceptatâ, intelligitur vox proximè habilis ad excitandam cognitionem rei, ſeu ad munus iſtud liberè deſtinata. Hoc autem, & nihil aliud eſt vocem conſtitui ſignificativam ad placitum. Accedit, quòd voluntas Majorum redditur pro ratione unicâ, cùr voces talia ſignificent: nam interroganti, cur hæc aut illa vox talem habeat ſignificatum? reſpondent omnes, *Quia ſic voluere priores.*

Ob-

Digitized by Google

35 *Objicies* : voluntas Majorum jam non exiſtit : quomodò ergo poterit nunc conſtituere ſignum vocale? *Reſp*.. Non exiſtit phyſicè ; exiſtit tamen moraliter, quatenùs perſeverat in effectu aliquo ſui, videlicet in memoriâ & acceptatione poſterorum. Hæc autem exiſtentia, moralis ſufficit ad officium ſignificandi. Sic voluntas Legislatoris, moraliter perſeverans, obligat poſteros. Sic etiam voluntas Principis valorem monetæ conſtituit, poſtquam phyſicè præterijt. Reliquas objectiones aliò remittimus.

36 Nunc inferes 1., ſignum vocale eſſe concretum quòddam, coaleſcens ex ſono vocis tamquàm ſubjecto, & ex impoſitione extrinſecâ tamquam ex formâ. Quod pariter intelligendum eſt de cæteris ſignis ad placitum : ramus enim v. g., ante tabernam poſitus, nihil aliud requirit, ut conſtituatur ſignum vini vænalis., niſi extrinſecam impoſitionem, ſeu deputationem ad id manifeſtandum.

37 Inferes 2., quare Philoſophus dixerit, conceptus mentis eoſdem eſſe apud omnes homines; voces verò non item. Nimirùm de utriſque loquitur, quatenùs ſigna ſunt. Et ſenſus eſt, quòd ubicumque producantur conceptus noſtris ſimiles in entitate, ſimiles erunt pariter in ſignificatu: quia in conceptibus realiter identificantur ſignificatio & entitas. At voces non eamdem ubique retinent ſignificationem, utpotè ſibi extrinſecam,

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

& adventitiam, conſiſtentemque in impoſitionē liberâ, quæ diverſa eſt pro diverſitate nationum. Hinc ſæpè contingit, ut voces aliquæ apud varios populos ſint ſono ſimiles, ſimulque diverſæ in ratione ſigni; v. g. vox *alma*, quæ aliud Latinis, aliud Hiſpanis ſignificat.

38 Denique obſerva, voces, quatenùs ad placitum ſignificantes, non ſolum eſſe ſigna rerum, verùm etiam conceptuum de rebus ijſdem. Quicumque enim ſcienter loquitur, manifeſta præbet indicia conceptuum ſuorum; quia neceſſe eſt præconcipiat ea, quæ vocibus ſignificare intendit. An autem voces immediatè & principaliter ſignificent tam res, quam conceptus? an res medijs conceptibus? an è converſo? difficultas eſt alibi enodanda. Sufficiat nunc ut indubitatum ſtatuere, quòd voces in propoſitione non niſi pro rebus accipiuntur, aut ſupponuntur. Cum enim dicimus, *Deus eſt omnipotens*, non eſt ſenſus, quòd iſta mentalis apprehenſio *Deus*, ſit hæc apprehenſio *omnipotens* (hoc quippè falſum eſt proculdubiò); ſed quòd res ſignificata per vocem *Deus*, ſit res ſignificata per vocem *omnipotens*.

CAP. IV.

DE NOMINE.

39 NOMEN, generaliter acceptum, ſignificat vocem articulatam, qua rem quamlibet nominamus, aut etiam cogitabile quodvis appellamus: quo

quo ſenſu omnes orationis partes complectitur. At ſpecialitèr acceptum nomen, apud Grammaticos una eſt ex octo partibus orationis vulgò tritis, definiturque, *vox declinabilis per caſus*, vel, ut aliqui malunt, *vox particeps numeri caſualis cum genere*: quas definitiones explicare, ac tueri, Grammaticorum eſt.

40 Ariſtoteles verò 1. *Periher.c.*2. non quodvis grammaticum nomen, ſed illud tantummodò, quod eſt baſis enuntiationis, ſeu quod *reddit ſuppoſitum verbo* (id eſt, quod cum adjuncto verbo *eſt* ſufficit ad enuntiationem) vult apud Dialecticos *nomen* appellari. Neque hac limitatione contentus, alias inſupèr adhibet conditiones: quas omnes comprehendit hæc ad ejus mentem compacta definitio Nominis, *vox ſignificativa ad placitum, finita, ac ſine tempore, cujus nulla pars ſignificat ſeparatim, quæ que adjuncto eſt, efficit plenam ſententiam.* Hujus definitionis partes explicantur ſic.

41 Per priora verba excluduntur voces, quæ nihil ad placitum ſignificant. Per tó *finita* excluduntur vocabula ex negatione & nomine conſtantia, v. g. *non-homo*, vel *non-leo*: nullum enim ex his vocat Ariſtoteles *nomen* ſimpliciter, ſed *nomen infinitum*. Per tó *ſine tempore* diſcernitur nomen à verbo, cujus eſt ſignificare cum tempore, ut mox explicabitur. Illud verò, *cujus nulla pars ſignificat ſeparatim*, poſtulat ſignificativum ſim-

 plex,

plex, ſive incomplexum, tale ſcilicet, cui reſpon- deat in mente conceptus unus, & ſimplex, non au- tem multiplex, ſaltem immediatè, & ex æquo.

42 Hinc à ratione nominis excluduntur 1. vo- ces æquivocæ, v.g. *canis*, *gallus*: quia licet ſonus earum ſecari nequeat in partes ſeorſùm ſignifican- tes; ſignificatio tamen non una, ſed multiplex eſt, diverſoſque conceptus immediatè excitat. Exclu- duntur 2. quælibet ſignificativa complexa, videli- cet termini complexi, & omnes orationes: nec ſo- lùm orationes formales, verùm & virtuales, quas vocant *minores*; voces nimirùm ſono ſimplices, ſed ſignificatu complexæ, quia ſingulæ duabus æquivalent in ſignificando; cujuſmodi ſunt *nemo*, *nihil*, quæ ſignificatu æquivalent hiſce, *nullus ho- mo*, *nulla res*, & quidem ut voces ſynonymæ.

43 Deniquè poſtrema verba, *quæ que adjunc- to Eſt &c.* (quorum loco ponitur ab alijs in defi- nitione nominis vox *recta*, vel *in recto*) denotant, nullum vocabulum eſſe nomen, niſi adjuncto ver- bo ſubſtantivo *eſt*, efficiat plenam ſententiam, id eſt, integrum pronuntiatum, quod verum, aut fal- ſum dici queat. Unde à ratione nominis defi- ciunt 1. adverbia, conjunctiones, cæteræque par- tes orationis à Grammaticis enumeratæ, quibus conditio iſta deeſt. Deficiunt 2. caſus obliqui no- minum, quos Philoſophus ſignanter excludit; quia (inquit) *Philonis eſt, aut non eſt, nondùm verùm eſt, aut falſum.* 3. nomina adjectiva, ob eamdem ra-

Digitized by Google

rationem, quæ militat in obliquis: quàmvis enim dicatur, *albus eſt*, *calidus eſt*, niſi ſubſtantivum ſubaudiatur, nondùm verum dicitur, aut ſalſum.

44 Ex definitione ſic explicata *colliges* 1., pronomina grammatica apud Dialecticos eſſe nomina: quia ipſis undequaquè convenit definitio nominis, ut cernitur in his enuntiatis, *Ego ſum*, *tu es*; immò & apud Grammaticos peritiores ſunt protonomina, ſeu prima nomina. *Collig.* 2., verba infinitivi modi, ſi cum ſuppoſitione formali ſubjiciantur, verè nomina eſſe; v. g. cùm dicitur, *Mori naturale eſt*; *Otiari turpe eſt*; *Dare, quam accipere, melius eſt.*

45 *Collig.* 3., voces nihil ad placitum ſignificantes, v. g. *Blictiri*, non eſſe nomina, licèt cum verbo *eſt*, plenam ſententiam efficiant: quia primâ parte definitionis excluduntur. Sed tamen dicuntur habere *vim nominis*, quia perinde reddunt verbo ſuppoſitum, ac ſi nomina eſſent. Idem puta de quovis vocabulo materialitèr accepto; ut ſi dicatur, *Curro eſt verbum*, *Petrus eſt nomen*: nam voces *curro*, & *Petrus*, vim quidem nominis habent, ſed relatè ad has propoſitiones non ſunt propriè nomina; quia non exercent hìc & nunc ſignificationem ad placitum.

46 *Objicies*: illa propoſitio, *Petrus eſt nomen*, vera eſt: ergo vox *Petrus*, prout inibi poſita, verè eſt nomen. *Conceſſ. Antec.*, *neg. conſeq.*; quia proprius ſenſus illius propoſitionis non eſt, quòd

vox

vox *Petrus*, prout inibi poſita, ſit nomen; ſed quòd nomen ſit relatè ad alias propoſitiones, nempè quatenùs poſita, vel ponibilis cum ſuppoſitione formali. Sic verè dicimus, *Et*, *eſt conjunctio*: nec tamen *Et*, prout in tali pronuntiato, ſeu relatè ad illùd, verè conjunctio eſt, cum nihil inibi conjungat.

47 Ut alijs objectionibus contra datam definitionem occurras, *obſerva* 1., quòd illud, *cujus nulla pars ſignificat ſeparatim*, non loquitur de parte ſeparatâ, ſeu quæ proferatur extra Nominis ſtructuram: ſed loquitur de parte actuali, quæ, dum conſtituit Nomen, debet non ſignificare *ſeparatim*, id eſt, ſingillatim, ita ut ipſi conveniat ſua peculiaris ſignificatio, non communis alteri comparti: debent enim partes Nominis, ſi quæ ſunt, ſimùl omnes unam, ſimplicemque ſignificationem habere, nec inter ſe munera ſignificandi partiri. Unitas autem ſignificationis deſumitur ab unitate conceptûs, quem immediatè vox excitat circa rem ſignificatam. Sic accidit in nomine, *Eraſ-mus*, *Bona-ventura*, & ſimilibus.

48 *Obſerva* 2., quòd nulla ſit enuntiatio nixa caſu obliquo; ſemper enim pro baſi enuntiationis opus eſt recto, vel expreſſo, vel ſubintellecto, vel imbibito in ipſo verbo. Hoc ultimum accidit in verbis, quæ vocant imperſonalia, ut *pœnitet*, *pudet*, *tædet*; atque etiam in paſsivis, *itur*, *curritur*, *pugnatum eſt*, *&c.*: quæ omnia imbi-

bibitum continent infinitivum, vel nominativum verbo cognatum, & perinde ſonant, ac, *Pudere, vel pudor pudet me; Currere, vel curſus curritur; Pugnare pugnatum eſt &c.*. Qua de re doctè & curiosè diſſerit Brocenſis *lib.* 3. *Minerv. cap.* 1. & *lib.* 4. *de Ellipſi.* Vel dic cum D.Thoma *lect.* 4. *in* 1. *Perib.*, quòd perinde ſonat, *Pœnitet me*, ac, *Pœnitentia habet me*, vel, *tenet me*; ſimileſque, vel eoſdem conceptus ingenerat.

49 Denique advertendum, poſſe Nomen dialecticum in tot ſpecies dividi, quot reſpondent Termino incomplexo, qui ſubſtantivus ſit, categorematicus, finitus, & non æquivocus. Quare, adhibitis hiſce limitationibus, eaſdem termini partitiones, quas infrà ſuo loco dabimus (v. g. in communem & ſingularem, in concretum & abſtractum), Nomini pariter accomodare poteris.

CAP. V.

DE VERBO.

50 VERBUM, prout à nomine condiſtinctum, à Grammaticis definitur, *Vox conjugabilis per tempora*, vel, *vox particeps numeri perſonalis cum tempore*: à Dialecticis verò ex doctrinâ Ariſtot. 1. *Perib. c.* 3., *Vox ſignificativa ad placitum, finita, ac cum tempore, cujus nulla pars ſignificat ſeparatim, & ſemper eorum, quæ de alio prædicantur, eſt nota.* In qua definitione prima pars expoſitione non eget. *Finita*, excludit ea, quæ Ariſtoteles vocat

ſtat *verba infinita*, ut *non valet*, quando ſcilicet ex *non* & *valet* ſit unum vocabulum, tacitè affirmans aliquid, cui ſit annexa negatio valetudinis.

51 *Cum tempore*, denotat, proprium eſſe verbi adſignificare tempus, quo res principaliter ſignificata menſuretur: v. g. *amat* ſignificat amorem, & adſignificat tempus præſens, ut menſuram amoris. Nomine *temporis* intelligitur in præſenti quævis duratio, etiam inſtantanea. *Cujus nulla pars &c.* intelligendum eſt ut ſupra, n. 47. circa nomen. *Et ſemper eorum* &c., indicat, verbum ſi plenè ac formaliter accipiatur, ſemper eſſe notam, aut ſignum, quòd aliquid de ſubjecto affirmatur, aut negatur; hoc enim eſt *prædicari*.

52 Plena verbi ſignificatio *tria* comprehendit. *Primum*, ac principale, eſt illa forma, vel quaſi forma, quam verbum apertè præſefert, ut *Amo* præſefert amorem, *Lego* lectionem, & ſic cætera. Hæc autem forma ſignificatur *in fieri*, ut ajunt, ſeu per modum actionis, aut exercitij: idem quippè ſonat *amare*, ac *exercere amorem*, vel *ſe exercere amando*. Idque verum eſt, etiamſi talis forma non ſit in re actio, ſed paſsio, immò quies, vel carentia actionis, ut in verbis, *Patior*, *ſedeo*, *ceſſo*: ſemper enim vel ceſſatio ipſa ſignificatur inſtar cujuſdam exercitij.

53 *Secundum* eſt tempus, quod conſignificatur ut menſura illius exercitij, vel actionis. Conſignificari ut menſuram actionis, eſt actionem ex mo-

modo ſignificandi ſic adjudicari tempori, ut intelligatur actualiter eſſe, fuiſſe, vel fore. Unde *cœna*, *prandium*, & ſimilia, non ſunt verba, ſed nomina, quia, licèt connotent meridianum tempus, & veſpertinum, nondum intelligere faciunt, prandium, aut cœnam eſſe, fore, vel fuiſſe. Item *dies*, *annus*, *tempus*, & hujuſmodi, tempus quidem ſignificant, ſed non *ſignificant cum tempore*; quia phraſis hæc apud Dialecticos talem poſtulat modum ſignificandi, ut nemo jam expectet, *eſt*, *fuit*, vel *erit*. Idem puta de nomine *Poſteri*, vel *Majores*. Addo, quòd ab omnibus ijs nominibus, quidquid ſit de ſignificatione *cum tempore*, ſatis diſcernitur verbum per ultimam partem definitionis.

54 *Tertium* eſt copula objectiva, quæ vocatur etiam *compoſitio*, *conjunctio*, vel *unio* prædicati cum ſubjecto. Nam inter nomen *amor*, & verbum *amo*, hoc eſt diſcrimen; quòd nomen nudè ſignificat amorem; at verbum ſignificat inſuper, amorem in tempore exerceri, & convenire mihi, ſeu (quod in idem recidit) me identificari cum re, cujus eſt amor: & hoc ipſo amorem, ſeu rem amantem prædicat de me, tamquam de ſubjecto. Hæc igitur convenientia, vel identitas inter ſubjectum, & prædicatum objectivum, tali modo ſignificata, vocatur *copula objectiva*; & ejus ſignificatio, in verbo reperta, dicitur *copula formalis*. Et copula quidem objectiva ſignificatur etiam à verbo, cui negatio præponitur, ut *non amo*; ſic tamen, ut negetur exiſtere.

Si

55 Si quæras, an etiam in verbo ſubſtantivo *eſt* inveniantur tria ſignificata nunc expoſita? *Reſp.* Si verbum *eſt* ponatur ſine adjuncto prædicato, ut *Petrus eſt* (quæ dicitur propoſitio *de ſecundo adjacente*), idem valet *eſt*, ac *exiſtit*, haberique debet pro verbo adjectivo, & ſine dubio ſignificat tria nunc dicta. Si verò accedat ipſi prædicatum aliud, ut *Petrus eſt homo* (quæ propoſitio vocatur *de tertio adjacente*); duplex eſt opinio. Altera verbum *eſt* reputat purum ſyncategorema, quod ſolùm ſignificet copulam objectivam cum tempore, ſed ita, ut ejus ſignificatio dependeat à vocibus adjunctis. Quæ opinio valde probabilis, & plana eſt.

56 Altera, quæ eſt D. Thomæ *in* 1. *Perih. lect.* 5. & *in* 5. *Metaph. lect.* 9., concedit verbo *eſt* in propoſitionibus *de tertio adjacente*, aliud principale ſignificatum, præter copulam cum tempore, videlicet actum eſſendi, ſive entitatem in communi, quæ ab adjuncto prædicato determinetur, ut ſit entitas ſubſtantiæ, vel accidentis, necnon ut ſit actus exiſtentiæ, vel eſſentiæ. Unde in propoſitione *Petrus eſt homo*, non prædicatur *homo* dumtaxat, ſed *eſſe hominem*, ita ut *eſſe* ſit principale ſignificatum verbi *eſt*. In primâ opinione verbum ſubſtantivum eſt mera copula formalis: at in ſecundâ, continet copulam, & partem prædicati.

57 Ex dictis hactenùs *inferes* 1., verbum, formaliter acceptum, ſemper ſe tenere ex parte

præ-

prædicati (ſaltem in ſecunda opinione modò relatâ), nunquam autem ex parte ſubjecti. Sic poſtulat ultima pars definitionis. *Objicies*: verè dicitur, *Curro eſt verbum.* Fateor: ſed tunc accipitur *curro*, non formalitèr pro ſuo ſignificato, ſed materialitèr pro voce ipsâ in eſſe talis ſigni; proindeque *ſumitur in vi nominis*, ut loquitur D. Thomas in præſenti: nec ſenſus eſt, quòd ſit verbum relatè ad hanc propoſitionem, ſed relatè ad alias. Vide ſupra n. 46.

58 *Inferes* 2., verbum extra enuntiationem non eſſe propriè ac plenè verbum, v.g. cùm profertur verbum *valet* ſeorsìm à ſubjecto. Ratio eſt: quia ad plenum verbi ſignificatum pertinet compoſitio, ſeu copula objectiva talium extremorum: hæc autem ſine extremis intelligi non poteſt, ac proindè nec ſignificari. Undè verbum, quatenùs copulæ ſignificativum, indiget oppoſitione ſubjecti, velut conditione *ſine qua non.* Verbum, inquit Ariſtoteles *cit. cap.* 3., *ſignificat quamdam compoſitionem, quam ſine compoſitis non eſt intelligere.* Conſonat D. Thomas ibi *lect.* 5.

59 Huc etiam ſpectat illud ejuſdem Ariſtot. ibid., *Ipſa verba, cum per ſe dicuntur, nomina ſunt*: id eſt, non plenè obeunt munus verbi, cujus eſt compoſitionem ſignificare; quia tamen retinent principale ſignificatum, vocari poſſunt nomina, prout nomen generaliter dicitur quævis dictio ſignificans, ut explicat D. Thomas.

Digitized by Google

60 Nec verùm eſt, quòd verbum *valet*, ſolitariè dictum, connotet aliquod ſubjectum indeterminatum, cui Valetudo conveniat. Sic enim jam non erit extra enuntiationem, ut modò ſupponitur; ſed erit enuntiatio integra; quia intelligere nos faciet totum hoc, *Aliquod ſubjectum valet*, quæ citra dubium integra propoſitio eſt: non alitèr ac vox *valeo* eſt propoſitio integra; quia idem intelligere nos facit, ac *Ego valeo*. Doctrina iſta procedit etiam in verbo *eſt*, quod ſolitariè prolatum, nec eſt copula formalis, nec ſignificat copulam objectivam, ſed ut ſummùm exiſtentiam indefinitè: variatur quippè ſignificatio ad placitum ex circunſtantiis.

61 *Inferes* 3., à ratione verbi logici deficere multa verba grammatica, ſeu verbi modos, videlicet imperativum, infinitivum, optativum, necnon participium, v.g. *diſputa*, *diſputare*, *utinàm diſputes*, *diſputans*. Iſtorum enim quædam ex parte ſubjecti eſſe poſſunt, ut *diſputans ſedet*, *diſputare eſt utile*; & nullum efficit cum nomine orationem veram, aut falſam, ſine alio verbo; ac proindè nullum per ſe eſt nota prædicationis.

62 Sed quid de verbo præteriti, aut futuri temporis, indicativo? *Reſp*.. Si præcisè ſpectetur vis efficiendi enuntiatum verum, aut falſum, omninò propriè verbum eſt. Quia tamen hæc vis quodammodò oritur à verbo de præſenti, atque in illud reſolvitur (ideò enim verè dicitur, *Adamus*

mus fuit , vel *Antichriſtus erit* , quia aliquandò potuit , vel poterit verè dici, *Adamus eſt*, *Antichriſtus eſt*); idcircò verba de præterito,aut futuro, vocat Ariſtoteles, non verba, ſed *caſus verbi*, quaſi aliquatenùs cadant à proprietate verbi de præſenti. Ad uſum tamen Dialecticæ ſimpliciter pro verbis habentur.

63 *Inferes* 4., etiam in propoſitionibus de materiâ neceſſariâ , quas vocant *æternæ veritatis* , verbum ſignificare cum tempore , v. g. in hac, *Homo eſt animal.* Nec obſtat , quòd in his dicatur verbum *abſolvi à tempore*. Nam hoc intelligendum eſt de tempore determinato, ſive de hoc præ illo : re verâ enim tunc ſignificatur ſub tacitâ conditione tempus omne reale , & imaginarium : & illa propoſitio, *Homo eſt animal*, reddit hunc ſenſum , *Homo* , *quandocumque exiſtat*, *eſt animal.* Idcircò D. Auguſtinus *lib.* 2. *de liber. arbitr. cap.* 8. approbat dictum illud, *Septem*, & *tria* , *decem ſunt* , & *non ſolùm nùnc* , *ſed etiam ſemper.* Quid eſt *ſemper* , niſi *omni tempore* ? Sed hac de re fuſiùs in Metaphyſica.

64 Circa verbum infinitum , quod Ariſtoteles excluſum voluit in definitione verbi, notandum eſt , quòd illud , ſi quandò datur, non efficit propoſitionem negativam , ſed affirmativam de prædicato infinito. Quare dictio *non-valet*, ut infinitet verbum , debet reddere hunc ſenſum , *eſt non-valens* : ſi enim idem ſignificet, ac *non eſt valens*,

lens, propoſitionem efficit purè negantem. Verba tamen hujuſmodi, licèt Ariſtotelis tempore uſitata, jam ferè in deſuetudinem abierunt. Ideoquè meritò à Dialecticis cum D. Thoma *in* 2. *Perih. lect.* 1. traditur ut regula generalis, quòd negatio præpoſita verbo removet copulam, & propoſitionem reddit negativam.

65 Deniquè notandum, quòd verbum adjectivum virtualiter continet ſubſtantivum cum participio. Nam *valet*, idem ſignificat, ac *eſt valens*, & ſic de reliquis. *Dices*: ergo *valet* non eſt dictio ſimplex, ſed complexa in ſignificando. *Neg. conſeq.*: quia non æquipollet his duabus vocibus tanquam dictio ſynonyma, ſed eas continet implicitè. Sic vox *homo* ſimplex eſt, quàmvis æquipolleat complexo huic, *animal rationale*: quia nimirùm ſynonymia deeſt, & explicatur vox una per duas clariores.

DISPUTATIO II.

DE ORATIONE, ET MODO SCIENDI.

CAPUT I.

DE ORATIONE IN COMMUNI.

1 ORATIO apud Dialecticos ſonat ſignificativum complexum ex conceptibus, aut vocibus; non quidem in unam dictionem coeuntibus, ſed tamen inter ſe coordinatis ad aliquid

Digitized by Google

quid ſignificandum. Quo ſenſu definitur ab Ariſtotele 1. Perih. c. 4., *Vox ſignificativa ad placitum, cujus partium aliqua ſignificat ſeparatim.* Hæc definitio conveniet orationi mentali, ſi loco generis ponatur *ſignum*, aut *ſignificativum*, ut monuimus in limine Diſputationis 1.. Duas verò continet partes: quarum prior explicat convenientiam orationis cum nomine, & verbo; poſterior, differentiam ab ijſdem, & à quovis ſignificativo incomplexo.

2 Ponitur in definitione *vox* in ſingulari, ad indicandum unitatem, quam medio nexu grammaticali habere debent voces, ex quibus oratio componitur. Ex vocibus enim diſſociatis, ut *lapis*, *homo*, *lux*, non reſultat oratio. Opus eſt ergo habitudine aliquâ, ſeu ordine grammatico, qualis cernitur in qualibet ex his orationibus, *Homo doctus*, *Deum videns*, *Rex Hiſpaniæ*, *Sol lucet*. Debet tamen iſta compoſitionis unitas eſſe talis, ut unaquæque vox conceptum excitet diſtinctum à conceptu alterius, prout indicat tò *ſeparatim* ex dictis Diſput. 1. n. 47. Porrò differt oratio à termino complexo; quia latiùs extenditur, nimirùm ad propoſitiones, & ſyllogiſmos.

3 Si quæras, cur in definitione ponatur *partium aliqua*, & non omnes? *Reſp.*: quia ſermo eſt de ſignificatione ad placitum, quæ non neceſſariò reperitur in omni parte orationis, ut cernitur in iſtâ, *Blictiri ſonat*; cujus prior pars, li-

Digitized by Google

cèt ſeparatim ſignificet conceptum de ſe ipſa, non tamèn ad placitum. Ponitur etiam tò *aliqua* (juxta D. Thomam *hìc lect. 6.*) propter ſyncategoremata, v. g. *quidam*, *omnis*, *nullus*, quando ſunt partes orationis, ut cum dicitur, *quidam homo*: ea quippè non tam dicuntur *ſignificare*, quàm *conſignificare*; quia conceptum excitant quodammodò pendentem à conceptu & ſignificato partis alterius.

4 Addit Ariſtoteles continuò poſt definitionem prædictam, *ut dictio*, *non ut affirmatio*, *vel negatio*. Quæ verba inprimis non adduntur definitionis gratiâ, ſed majoris explicationis: ac deinde non ijs denotatur, quòd nullius orationis pars queat eſſe affirmatio, vel negatio; ſed ſolùm, quòd oratio talem partem non poſtulet ex conceptu ſuo communi (quàmvis eam permittat), poſtulet tamen neceſſariò partem, quæ ſignificet ut dictio.

5 Sed adhùc contra definitionem objicies: hæ voces, *nemo*, *nihil*, ſingulæ ſunt orationes, utpotè ſignificativa complexa, quæ omninò æquivalent hiſce, *nullus homo*, *nulla res*: at in his nulla eſt pars ſignificans ſeparatim. *Confirm.*: potuit idioma inſtitui ita Laconicum, ut unaquæque vox eoſdem conceptus excitaret, quos nùnc excitant duæ, vel tres: tunc autem ſingulę voces re ipsâ forent orationes, quàmvis earum pars nulla ſignificaret ſeparatim.

Reſ-

Digitized by Google

6 *Reſp. ad object.*. Voces illæ inter orationes logicas computantur (orationes *minores* vocant comparatione earum, quæ multis conſtant vocibus, & *majores* dicuntur): quia licèt grammaticè ſimplices, logicè tamèn cenſentur complexæ, eo quòd unaquæque duabus æquivaleat per ſynonymiam, duoſque in mente conceptus immediate excitet.

7 Itaque definitio orationis intelligenda eſt de partibus, non tam materię, quam formę, id eſt, non tam ſoni vocalis, quam ſignificationis, aut poteſtatis excitandi conceptus. Sicut enim non cenſentur orationes lógicę, *Marcus Tullius*, *Virgilius Maro*, & alia complexa ex vocibus ſynonymis, quia, licèt ſono complexa, ſenſu tamen ſimplicia ſunt: ita per oppoſitum in caſu noſtro. Ad *confirm.* eadem eſto reſponſio. Alij dicunt, ejuſmodi voces non eſſe orationes formalitèr, ſed virtualitèr duntaxàt.

8 Oratio hactenùs explicata dividitur in *imperfectam*, & *perfectam*. Imperfecta eſt, quę ſenſum habet imperfectum, & quaſi ſuſpenſum, ut iſtę, *Sic vos non vobis, Ille ego, qui quondam.* Perfecta dicitur, quę ſenſum reddit perfectum. Et hęc ſubdividitur in *interrogativam*, *imperativam*, *vocativam*, *deprecativam*, *optativam*, & *enuntiativam*. De cęteris pręter ultimam, Logica non curat: ſiquando enim interrogatione utitur, id agit, ut enuntiationem eliciat. *Orationes igitur cætera*

Digitized by Google

ræ omittantur(inquit Ariſtoteles cit.c.4.):*ad Oratoriam enim artem, aut Poeſim, illarum magis conſideratio pertinet; enuntiativa verò præſentis eſt propria contemplationis.* Sed priùs Modum ſciendi, celebrem, ac prænobilem orationis ſpeciem, exponemus.

CAP. II.
DEFINITUR, AC DIVIDITUR MODUS ſciendi.

9. QUIDQUID medium eſt ad ſcientias adquirendas utile, vocari poteſt modus ſciendi. Unde & Logica ipſa, quia generale quoddam inſtrumentum eſt ad alias ſcientias comparandas, ab Ariſtotele quandòque *modus ſciendi* nuncupatur. In præſentia preſsiùs accipitur hoc nomen, nimirùm prout ſignificat artefacta quædam mentalia, vel vocalia, quibus conſtruendis præcipuè incumbit Dialectica, & quorum gratiâ maximè regulas tradit. Nec tamen tò *ſciendi* ſtrictiſsimè ſumitur, quatenus denotans cognitionem ſciẽtificam, ſolâ demonſtratione parabilem; ſed quatenùs indicans diſtinctam, ac reconditam notitiam naturæ, & proprietatum cujuſque rei.

10 Modus ſciendi definiri ſolet, *Oratio ignoti manifeſtativa.* Verùm hæc definitio, ut jacet, videri poterit incongrua, nec ſoli definito conveniens. Non enim quælibet oratio, vocalis, aut mentalis, manifeſtans ignotum aliquid, eſt Modus ſcien-

ſciendi, de quo agimus. Quamobrem definitio illa communis ad mentem Dialecticorum intelligenda eſt eo ſenſu, quem exhibet iſta, *Oratio dialectica artificioſè declarans id, quod ſimplici rei nomine confusè ſignificatur.*

11 Definitio hæc reijcit inprimìs orationes non dialecticas (nempe optativam, imperativam, &c), aut conſideratas ſub artificio non ſpectante ad Dialecticam, ſed ad alias artes, ut ad Poeſim, aut Rhetoricem. Deindè adverbium *artificioſè* reijcit eas, de quibus Dialectica tractat, non ut ipſarum artificium approbet, ſed ut vitia reprobet. Poſtremò non omnis oratio dialecticè artificioſa comprehenditur, ſed ea tantùm, quæ declarat rei eſſentiam, vel partes, aut ſpecies, vel etiam proprietates; hæc enim omnia confusè ſignificantur vulgari ac ſimplici nomine cujuſque rei.

12 Hinc omnes Dialectici deſignant, tanquã tres ſpecies modi ſciendi, *definitionem*, *diviſionem*, & *argumentationem*. Nam prima detegit rei eſſentiam; ſecunda partes, aut ſpecies; tertia diſcurrendo explorat, quid cuique rei propriè conveniat. Communis ſententia eſt, non alias ſpecies modi ſciendi ſupereſſe. Aliqui tamen ſuperaddũt *propoſitionem*, ſaltem quæ de ſubjecto prædicatum aliquod eſſentiale detegit, & affirmat: nam hujuſmodi propoſitionibus convenit definitio, præſertim vulgata, modi ſciendi. Quæſtio eſt parvi momenti. Utrumlibet dicatur, Dialectica non minùs

accuratè de propoſitione, quam de cæteris, tractabit inferiùs.

13 Annumerant alij *methodum*, quæ in ſcientijs, & artibus eſt ordo cognitionis, doctrinæque. Hic ordo pertinet quidem ad modum ſciendi; ſed non niſi quatenùs texitur definitione, diviſione, & argumentatione. Methodus autèm (ut hoc obiter noveris) eſt duplex. Altera *ſynthetica*, id eſt, compoſitionis; quæ procedit à partibus ad totum, à ſimplicibus ad compoſita, ab univerſalibus ad particularia, à cauſis ad effectus. Hanc modò ſervamus; dum à ſigno in communi progredimur ad vocale, hinc ad nomen, verbum, &c., tùm ad enuntiationem, ac demùm ad argumentationem, & ſyllogiſmum. Altera *analytica*, id eſt, reſolutionis, quæ procedit inverſo ordine, videlicet à toto ad partes &c. Hanc ſervat Logicus, dum ſyllogiſmum in propoſitiones, & has reſolvit in terminos. Nunc ad notiſsimas modi ſciendi ſpecies accedamus.

CAP. III.

DE DEFINITIONE.

14 DEFINITIO, quatenus eſt ſpecies Modi ſciendi, communiter definitur ſic: *Oratio explicans eſſentiam rei*, vel, quod eòdem redit, *Oratio explicans, quid ſit res*. Unde interroganti, quid eſt res? per definitionem reſpondetur. Dicitur *oratio*; quia, cum definitio diſtinctè proponat prædicata rei, debet eſſe ſignificativum complexum. Dicitur *explicans*;

cans; quia detegit id, quod ſimplici rei nomine quaſi tectum eſt, aut confuſè ſignificatum.

15 Ac denique dicitur explicans rei *eſſentiã*, id eſt, *naturam*, ſeu *quidditatem*; quibus nominibus intelligitur complexum ex partibus, aut prædicatis præcipuis cujuſque rei, quorum oſtenſione pateſcit, quatenùs illa conveniat, & quatenùs differat à rebus alijs. Prædicatum illud, in quo res definita cõvenit cum alijs, vocatur *genus*: illud verò, in quo differt, ſeu quo diſcernitur à cæteris omnibus, vocatur *differentia*.

16 Definitio alia eſt *nominis*, alia *rei*; vel, ut paſsim dicitur, alia explicat *quid nominis*, alia *quid rei*. Sumitur nũc *res* pro ſignificato nominis: aliàs enim nomen ipſum res quædam eſt. Definitio nominis, eſt explicatio vocabuli, vel quoad ſignificatum, vel quoad etymologiam: ut ſi nomen *Cæſar* ſic definiatur: *Cognomen ſignificans quemdam Romanorum Dictatorem: Vocabulum à cæſo matris utero deductum.* Definitio rei eſt, quæ explicat, quid ſit res ſignificata per nomen. Sic oratio hæc, *Animal rationale*, eſt definitio rei ſignificatæ per nomen *homo*.

17 Definitio rei ſubdividitur in *eſſentialem*, & *deſcriptivam*. Eſſentialis eſt, quæ rem explicat exhibendo immediatè conſtitutiva ejus intima & eſſentialia. Et hæc iterùm ſubdividitur in *phyſicam*, & *metaphyſicam*. Definitio eſſentialis phyſica exhibet conſtitutiva realiter inter ſe diſtincta, ex qui-

Digitized by Google

quibus componitur eſſentia rei; ut cùm homo definitur, *Compoſitum ex corpore & animâ rationali.* Definitio eſſentialis metaphyſica exhibet conſtitutiva ſeu prędicata rei eſſentialia, quæ realiter identificantur, & ſolâ ratione diſtinguuntur; ut ſi hominem definias, *Animal rationale.* Sola eſſentialis, utrovis modo fabricata, omninò propriè definitio eſt; ad eamque maximè pertinent regulę definiendi.

18 Deſcriptio, ſeu definitio deſcriptiva, eſt, quę rem explicat pèr accidentia, vel prędicata non eſſentialia, quę tamen ſunt eſſentię occultioris indicia. Hęc proximè accedet ad definitionem eſſentialem, ſi conſtet genere proximo, & loco eſſentialis differentię proferat proprietatẽ quarto modo; ut cum ignis definitur, *Elementum in ſummo calidum.* Sed nihilominùs deſcriptio vocatur, quęcumque oratio certis quibuſdam notis rem deſignat; ut cùm de ciconiâ Virgilius ait, *Candida venit avis, longis inviſa colubris.*

19 Ad uſum Dialecticæ quatuor deſcriptionis ſpecies diſtingui poſſunt. *Prima*, quę rem explicat per cauſas extrinſecas, diciturque *definitio cauſalis.* Cauſas voco extrinſecas, efficientem, exẽplarem, & finalem: quas omnes complectitur hæc animæ rationalis definitio, *Forma à Deo creata, ad Divinam ſimilitudinem facta, & ad æternam beatitudinem deſtinata. Secunda*, quæ rem explicat per proprietates quarto modo; eaſque, vel phyſicas,

cas, ut cùm Sol definitur, *Planeta fulgens luce nativâ*; vel metaphyſicas, ut ſi homo definiatur, *Animal admirativum.*

20 *Tertia*, quæ rem declarat per effectum; ut cùm calor ab Ariſtotele definitur, *Qualitas congregans homogenea. Quarta*, quæ rem diſcernit per accidentia quævis externa; ut cùm ſaphirus deſcribitur, *Gemma cærulea, aureis punctis collucens inſtar Cæli ſereni.* Loco definitionis eſſentialis frequenter utimur deſcriptivâ; quia differentiæ rerum eſſentiales raró ſunt nobis notæ.

QUID VOCETUR DEFINITUM? ET QUATENùs à Definitione differat?

21 RES illa, cujus eſſentiam explicamus, prout ſubſtat ſimplici nomini (ſive conceptui), vocatur *definitum*, v. g. natura humana, prout ſubſtans nomini *homo*. Ipſum autem nomen dicitur *definitum formale*; & res eo ſignificata, *definitum objectivum.* Quæ diſtinctio pariter obſervanda eſt pro definitione. Vocalis enim, aut mentalis explicatio eſſentiæ, vocatur *definitio formalis*; ipſa verò eſſentia explicata, *definitio objectiva.*

22 Definitum aliud eſt *proximum*, ſive *propinquum*, aliud *remotum.* Proximum eſt ratio cõmunis per intellectum abſtracta ab inferioribus, v.

v. g. ratio hominis abſtracta à Petro, Paulo, & reliquis individuis. Remotum eſt unumquodque ex inferioribus iſtis; quę, quia non definiuntur immediatè ſub proprijs conceptibus, ſed medio conceptu naturę communis; ideò dicuntur definiri mediatè, ac remotè. Solum proximum eſt, quod in pręſenti vocatur ſimpliciter *definitum*.

23 Porrò, dum quęritur, quatenùs differant ſeu diſtinguantur definitum, & definitio? non eſt ſermo de formalibus: in his enim evidens eſt realis diſtinctio vocum, aut conceptuum. Neque item ſermo eſt de objecto ipſorum nudè ſumpto, prout eſt à parte rei: ſic enim diſtinctio nulla inibi reperitur. Sermo eſt igitur de objecto reali prout ſignificato, hinc per definitum formale, inde per formalem definitionem, ſic tamen, ut objectum ipſum accipiatur in recto, ſive *ut quod*.

24 Hoc itaque ſenſu inter definitum & definitionem nulla eſt diſtinctio realis intrinſeca; nihil enim à ſuâ eſſentiâ realiter diſtinguitur: nulla item perfecta diſtinctio rationis; hęc enim poſtulat extrema diverſimodè definibilia, & quorum neutrum ſit explicatio alterius. Solùm ergo eſt diſtinctio rationis imperfecta, & impropria, quam vocant *penès implicitum & explicitum*; quia in definito continetur quaſi tectum, & involutum, id ipſum, quod in definitione apparet evolutum, & explicatum.

NO-

NOTANDA QUÆDAM.

25 NOT. 1. Definitum, ut unâ explicetur definitione, debet eſſe quid unum unitate rationis, & univoco nomine ſignificari. Unde æquivoca, ut talia, definiri non poſſunt, niſi factâ priùs diviſione in diverſa ſignificata, quibus ſingulis ſua ſeorſùm definitio aptetur. Analoga verò ſolent priùs definiri, quàm dividi; quia magis ad unitatem rationis accedunt: quamquàm ſtricto jure diviſio quòque in ipſis præmittenda eſt.

26 Dixi, *quid unum unitate rationis*; quia non definitur immediatè, niſi quidditas aliqua univerſalis, & pluribus communis, ut homo, vel animal ut ſic, ubi plura fiunt unum per rationem. Res quippe ut ſingulares non ita cognoſcuntur à nobis pro hoc ſtatu, ut poſsimus conceptu proprio diſcernere differentias purè numericas, licèt eis nomina quædam imponamus, v.g. *Petreitas*, vocabulum certè non clarius nomine *Petrus*, è quo extrahitur. Unde nec Sol, tametſi unicus, definitur ut ſingularis, ſed ut habens naturam ex ſe communem, ſeu multiplicabilem, quàmvis de facto multiplicata non ſit.

27 *Not.* 2. Definitum in ordine phyſico debet eſſe *unum per ſe*, ut homo, vel equus. Sic docuit Ariſtoteles: cujus tamen hac in re doctrina explicatione indiget alibi tradendâ. Interim certum eſt, ea, quę ſunt *unum per accidens* inſtar hujus complexi *homo albus*, non definiri quoad utramque partem uni-

unicâ definitione,ſed duplici:nam illud cōplexū, prout ita expreſſum,indiget duabus, quarum alia ſit hominis,alia ſit albi ; quas tamen uno contextu nectere ſic poteris, *Animal rationale affectum colore diſgregativo viſus.*

28 *Not.3..* Non idem ſonat *accidens*, ac *unum per accidens*; nam accidentia poſſunt accipi ut per ſe una,& ſuo modo definiri unicâ definitione,licèt eorum explicatio non dicatur ſimpliciter definitio, ſicut eſſentia ipſorum non dicitur ſimpliciter quidditas comparatione ſubſtantię.

29 Quędam autem accidentia determinant ſibi certum ſubjectum , quędam non. Hęc dicuntur *ſimplicia* , illa *copulata*. Simplicia , ſaltem in abſtracto , definiuntur tacito ſubjecto , ut cùm *albedo* dicitur *color diſgregans viſum* : immò & in concreto definiuntur ſine ſubjecti nomine , ut cùm *albū* dicitur eſſe *diſgregativum viſus*.Copulata verò non definiuntur ſine expreſſâ mentione ſubjecti, vel in recto poſiti , cùm accidens definitur in concreto;vel in obliquo; cùm definitur accidens in abſtracto. V. g. *ſimum*, quia naſum pro ſubjecto determinat , *naſus curvus* definiri debet; *ſimitas* verò , *curvitas naſi.*

30 *Not.* 4.. Quando in definitione ponitur aliquid , quod eſt extra eſſentiam definiti (v. g. *naſus* in definitione *ſimitatis*) , vocatur *definitio per additamentum.* Et hęc generatim convenit ijs rebus , quarum eſſentia primariè conſiſtit in ordi-

ne

ne ſeu habitudine ad certum ſubjectum, aut terminum. Nam habitudo, quà talis, nequit à nobis explicari, niſi ſub nomine ſui termini. Sic potentię vitales, ſic artes, ſic alia multa, *per additamentum* definiuntur, ſcilicet per ſuos terminos, aut objecta.

31 *Not.* 5.. Definitio non tam dicitur *vera*, vel *falſa*, quàm *bona*, vel *mala*: tum quia ſalvatur in apprehenſione, cujus non eſt propriè veritas, aut falſitas: tum quia poteſt verè affirmari de definito, & tamen eſſe non bona; ut ſi homo definiatur, *Animal bipes*.

CAPUT IV.

LEGES DEFINIENDI TRADUNTUR: & Definitionis definitio defenditur.

32 DE legibus, ſeu regulis rectè definiendi, multa docuit Philoſophus varijs in locis, pręſertim *l.6. Topic.*, & 2. *Poſter. c.* 10. Ea tamen omnia tribus aut quatuor regulis comprehendi ſolent. Prima: *Ut definitio ſit clarior definito*: aliter jam non erit explicatio eſſentię. Cōtra legem iſtam peccat 1., qui per metaphoras definit; ut ſi homo definiatur, *Arbor inverſa*, aut ſomnus, *Imago mortis*. Peccat 2., qui verbis utitur ambiguis, aut exoticis.

33 Peccat 3., qui definit idem per idem, id eſt, qui definitum quaſi partem definitionis ponit; ut ſi hominem definias, *Animal natura humana præditum*: ipſa quippe natura humana eſt, quæ

quæ definienda ſuſcipitur. Unde vulgare præceptum eſt, *Ne definitum ingrediatur definitionem.*

34 Peccat 4., qui alterum ex contrarijs definit per alterum; ut ſi bonum definiatur, *Quòd eſt contrarium malo*; aut malum, *Quod eſt contrarium bono*: hoc enim nihil addit lucis ad trita vocabula, *bonum*, & *malum*. Si tamen oppoſitio ſit relativa, qualis eſt v. g. inter *patrem*, & *filium*, definitio unius in eſſe talis, exigit mentionem alterius: ſed tunc explicanda eſt indoles relationis, aut ratio proxima, in qua fundatur.

35 Sed contra primam hanc regulam *oppones* 1.: ruſticus per terminum *homo* clariùs percipit hominem, quàm per *animal rationale*: clariùs etiam intelligit matrimonium vulgari vocabulo, quàm ſi definitionem ejus theologicam audiat: non igitur omnis definitio clarior eſt definito. *Diſt. conſeq.*: non eſt clarior per ſe, *neg.*; non eſt clarior per accidens, nimirùm ex ignorantià audientis, *conc. Conſeq.*. Defectus iſte claritatis non eſt tribuendus definitioni, ſed ruſtico, qui terminos, quibus conſtat definitio, non ultimatè novit.

36 *Oppon.* 2.: per nomen *homo* concipitur animal ut diſtinctum à brutis: ergo concipitur animal ut rationale; adeòque non minùs clarè concipitur eſſentia hominis, quàm per definitionem. *Diſt. Antec.*: concipitur animal ut diſtinctum à brutis per accidentia obvia, & externa (ut ſunt figura, locutio, inceſſus, &c.), *conc.*; ut diſtinc-

tinc-

Digitized by Google

tinctum per differentiam rationalitatis expreſsè conceptam, *neg. Antec.*, & *Conſeq.*. Si enim expreſsè concipiâtur animal cum differentiâ rationalitatis, jam habetur in mente cognitio definitiva correſpondens, non tantùm nomini *homo*, ſed orationi *animal rationale.*

37 Notabis hîc, ad eamdem claritatis regulam ſpectare præceptum illud Ariſtotelis, *Ut definitio ſit ex prioribus, & notioribus.* Hoc ſervatur, quoties definitio exhibet eſſentiæ conſtitutiva, ſeu phyſica, ſeu metaphyſica. Nam ordine naturæ conſtitutiva ſunt priora, & ſimpliciter notiora conſtituto, ſeu toto; ſicut unitas prior & notior eſt numero, linea ſuperficie, & ſic de alijs.

38 Secunda regula: *Ut definitio convertatur cum definito.* Id eſt, ut omni & ſoli definito conveniat, atque ita cum eo reciprocetur, ut ſe ſe viciſsim inferant, & invicèm prædicari poſsint, ac de ijſdem pariter ſubjectis affirmari, aut negari. Sic quicumque eſt *homo*, eſt *animal rationale*, & è converſo. Unde, quoties definitio vel convenit alijs à definito, vel non convenit omnibus ſub definito contentis, ſtatim reprobanda eſt ut planè vitioſa.

39 Tertia regula: *Ut definitio nec ſit redundans, nec diminuta.* Hoc eſt, ne plus dicat, quàm quod ſufficit ad eſſentiam rei declarandam, nec eam inexplicatam aliquâ ex parte relinquat. Sic ex his definitionibus hominis, *Animal rationale bi-*

pes, *Subſtantia corporea rationalis*, altera redundans eſt penes tò *bipes*; altera diminuta, quia inexplicatam relinquit eſſentiam hominis, quatenùs vivens eſt, & ſenſitiva.

40 Quarta (quæ cæteras ferè complectitur): *Ut definitio conſtet genere proximo, & ultima differentia.* Genera dicuntur prædicata communia, in quibus res definienda convenit cum alijs diverſæ naturæ. Ex his prædicatis, quod minùs extenditur, vocatur genus proximum; quæ latiùs patent, genera remota. V. g. reſpectu hominis *animal* eſt genus proximum; remota verò genera ſunt *vivens*, *corpus*, *ſubſtantia*. Differentia ultima dicitur illud prædicatum, quo res diſcernitur à cæteris omnibus diverſæ naturæ, v. g. *rationale* reſpectu hominis. Hanc differentiam niſi exprimat definitio, non convertetur cum definito. Genus autem ideò proximum eſſe debet, quia in genere proximo continentur formaliter prædicata ſuperiora. Contra, ſi remotum ſit, cum non includat formaliter inferiora, manebunt hæc penitùs prætermiſſa in definitione, quæ proinde diminuta erit.

41 Sed *nota* 1., quòd nihil intereſt, ſive ponatur genus proximum ſimplici nomine, ſive remotum cum differentiâ ſubalternâ. V.g. ſi hominem definias, *Vivens ſenſibile rationale*, rectè definies: quia idem valet *vivens ſenſibile*, ac *animal*, cùm ſit definitio animalis. *Nota* 2., quòd inter-

terdùm loco proximi ponitur genus remotum, claritatis gratiâ; quando ſcilicèt genus proximum obſcurius eſt, aut litigioſum. Sic in definitione definitionis datâ n. 14., quam omnes admittunt, *oratio* ponitur pro genere, licèt *modus ſciendi* ſit genus propinquius, ſive proximum: quia nimirùm ſic intereſt claritatis, eo quòd *modus ſciendi* ſit explicatu difficilior, quàm *oratio*. Similem ob cauſam leo definitur paſsim, *Animal rugibile*; cùm tamen *animal* ſit genus minùs propinquum leoni, quàm *brutum*, aut *fera*.

42 *Not.* 3., quòd ad exactam definitionem non ſemper opus eſt genere & differentiâ ſtrictè talibus. Quàmvis enim eſſentia definiti non habeat compoſitionem metaphyſicam generis & differentiæ (ſicuti non habent genera ſuprema, v.g. *ſubſtantia* ut ſic), poterit nihilominùs definiri, & exactè declarari; ut cùm *ſubſtantia* definitur, *ens per ſe*. Sufficit ergo prædicatum aliquod commune, quod ſit *quaſi genus*, aut *loco generis*, & aliquod diſcretivum, quod ſit *quaſi differentia*, ſeu *loco differentiæ*: atque ita intelligenda eſt regula quarta. Sanè, cùm definitio illa ſubſtantiæ propriè ſit oratio explicans eſſentiam rei, cur non erit propriè definitio? Hoc tamen non omnibus placet: nam plures negant eſſe definitionem propriè dictam, quæ non conſtat genere & differentiâ propriè talibus. Sed lis videtur eſſe de ſolo nomine.

Digitized by Google

43 *Not*. 4., quòd nec in definitione mentali neceſſariæ ſunt expreſsiones duæ realiter diſtinctæ, alia generis, alia differentiæ. Si enim detur conceptus realiter indiviſibilis, qui perfectè æquipolleat in claritate his duobus, *animal rationale*, ille utique erit mentalis definitio hominis. Attamen ſimul erit in conſideratione logicâ ſignificativum complexum, ſive oratio, propter dualitatis æquipollentiam, quæ eſt virtualis diſtinctio partium: quemadmodùm in propoſitione mentali, licèt aſſeratur ſimplex qualitas, conſiderat Logica partes artificiosè diſpoſitas ritu ſubjecti & prædicati, nimirùm propter diſtinctionem virtualem.

44 *Not*.5., quòd ex quatuor regulis ſuprà datis, prima & tertia pertinent ad definitionem formalem; ſecunda verò, & quarta, ad definitionem objectivam; hæc enim eſt, quæ cum definito convertitur, & genus ac differentiam continet: quamquàm etiam definitioni formali aptari poterunt cum addito *ut quo*, vel *in ſignificando*.

45 Denique *obſerva*, vulgarem eſſe regulam, quòd *verba in definitionibus non ſonant actum, ſed aptitudinem*. Albedo v. g. definitur, *Color diſgregans viſum*: ſed tò *diſgregans*, licèt ſonare videatur actum, ſeu exercitium diſgregandi, perinde accipitur, ac *potens diſgregare*. Hæc tamen regula non tenet, quando eſſentia rei conſiſtit in exercitio actuali; ut cùm definitur intellectio, actio, unio, vel quid ſimile. Quando autem eſ-

eſſentia conſiſtit in aptitudine, ſatius eſt id exprimere, ne definitio maneat ambigua.

SOLVITUR OBJECTIO CONTRA definitionem Definitionis.

46 EX prædictis definiendi regulis conſurgit hæc *objectio*: Nulla fieri poteſt definitionis definitio: ergo, quam dedimus n. 14., nulla eſt. *Prob. Antec.* 1.: quia, quæcumque detur definitionis definitio, non convertetur cum ſuo definito: ipſa quippe erit definitio quædam ſingularis; & definitum ejus erit definitio in communi, cum quâ certè nulla ſingularis converti poteſt. 2.: quia nec poterit eſſe ſuo definito clarior; alioqui, cùm ipſamet contineatur in definito ſuo, erit clarior ſe ipsâ, quod eſt abſurdum. 3.: quia fieri non poterit, quin definitum ingrediatur definitionem, ſeu quin definiatur idem per idem, videlicèt per definitionem definitio.

47 *Reſp. neg. Antec.*, quin obſtent probationes. *Ad* 1. Regula converſionis lata eſt pro definitione ac definito, non tam formalibus, quàm objectivis, ut nuper advertimus. Sic autem benè obſervatur in re præſenti. Nam objectum hujus definitionis formalis, *Oratio explicans eſſentiam rei*, eſt eſſentia definitionis in communi; & hoc objectum utique convertitur cum objecto hujus nominis *definitio* (hoc nomen eſt in præſenti definitum formale), ſiquidem nomine iſto ſignificatur definitio in communi, quæ certè reciprocatur

cum eſſentiâ ſuâ. Unde non ſequitur, definitionem ſingularem converti cum communi: non enim definitio formalis converti debet cum objectivâ; ſed ſolùm objectiva cum objectivo definito.

48 Adde, quod etiam inter definitionem ac definitum formalia datur converſio, non in eſſendo, ſed in ſignificando: nam quidquid ſignificatur hoc nomine *definitio*, ſignificatur etiam complexo iſto, *Oratio explicans eſſentiam rei*, & è converſo.

49 *Ad* 2.. Lex claritatis pertinet ad definitionem ac definitum formalia, ut item advertimus. Hoc autem ſenſu definitio definitionis clarior eſt definito, videlicèt nomine *definitio*; ſub quo minùs clarè proponitur eſſentia definitionis, quàm cùm dicitur *oratio explicans eſſentiam rei.* Continetur quidem definitio iſta formalis in ſuo definito objectivó, nempè in definitione in communi, ſub qua comprehenduntur omnes definitiones particulares: at non ideò evadit clarior ſe ipsâ in ſe ſpectatâ, ſed tantùm ſe ipsâ prout ſignificatâ per nomen *definitio*: quod nihil eſt aliud, quàm illam in ſe clariorem eſſe tali nomine. Sic mentalis definitio *cognitionis* ut ſic, eſt clarior ſemetipsâ prout repræſentatâ cum cæteris per conceptum iſtum, *cognitio*.

50 *Ad* 3.. Cùm definitum prohibetur ingredi definitionem, ſermo eſt definito formali, nempè de ſimplici & conſueto nomine rei, vel alio ſynonymo. At nomen *definitio*, quod in præſenti

eſt

Digitized by Google

eſt definitum formale, non ingreditur definitionem definitionis. Quare, licèt per definitionem particularem definiatur definitio in communi, non definitur idem per idem in ſenſu vetito; ſiquidem definitio non definitur per ſe ipſam prout expreſſam nomine *definitio*. Nec ipſa definitio definitionis ſe ipſam habet pro unico definito objectivo: nam inprimis definitum proximum eſt definitio in communi, non autem ulla particularis: ac deinde definitum remotum non eſt ipſa tantùm, ſed omnes & ſingulæ definitiones individuæ.

CAP. V.

DE DIVISIONE.

51 ALTERA ſpecies Modi ſciendi eſt Diviſio: quæ definitur communiter, *Oratio totum in ſuas partes diſtribuens*: id eſt, diſtinctè recenſens partes totius; vel diſtinctè explicans, quotuplex ſit pars rei: per diviſionem quippe reſpondetur interroganti, quotuplex eſt res? vel quotuplex ejus pars? *Oratio* ponitur loco generis potiùs, quàm *modus ſciendi*, propter dicta n. 41. Reliqua verba indicant differentiam. Totum, ſeu res, quæ diſtribuitur, vocatur *diviſum*: partes autem ejus vocantur *membra dividentia*.

52 Diviſio, alia eſt *nominis*, alia *rei*. Diviſio nominis eſt diſtributio vocabuli ambigui, vel æquivoci, in ſua ſignificata; ut ſi dicas, *Hujus nominis* Taurus, *aliud ſignificatum eſt animal, aliud cæleſte ſignum, aliud mons Aſiæ*. Diviſio rei eſt

diſtributio rei cujuslibet in ſuas partes. Et hæc generaliter diſſecatur in *diviſionem per ſe*, & *diviſionem per accidens*: quarum prima recenſet membra, quæ ſunt per ſe partes totius; ſecunda verò membra, quæ non niſi per accidens ſunt partes diviſi. Exempla mox dabo.

53 Tam diviſio *per ſe*, quàm *per accidens*, eſt duplex: alterâ *totius actualis*; altera *totius potentialis*. Unde & altera *diviſio actualis* appellatur, altera *potentialis*, aut *poteſtativa* (quamquàm alio ſenſu *poteſtativa* dicitur, quæ virtutem cauſæ dividit in partes; ut ſi virtutem ignis dividas in vim comburendi, & vim illuminandi). Porrò *totum actuale* eſt, quod partes actualiter includit: dumque partes habet realiter diſtinctas (ut ſunt in homine corpus & anima), vocatur *totum phyſicum*: vocatur verò *totum metaphyſicum* relatu ad partes ſolâ ratione diſtinctas, cujuſmodi ſunt *animal* & *rationale* in eſſentiâ hominis.

54 Ex adverſo *totum potentiale* dicitur per ordinem ad partes, quas non actu, ſed potentiâ continet: & hujuſmodi totum ſemper eſt aliqua ratio communis, abſtracta per intellectum ab inferioribus; ideòque appellatur etiam *totum logicum*, aut *univerſale*. Talis eſt ratio *animalis* ut ſic, reſpectu hominis & bruti, quæ ſunt inferiora ejus. Nam, cùm *animal* ut ſic non definiatur per hominem & brutum, ſed per *vivens ſenſibile*, non continet actu & formaliter inferiora iſta per mo-

Digitized by Google

modum totius actualis. Quia tamen poteſt, de ijs prædicari, per ea contrahi, & in ea velut in duo membra diſtribui, idcircò dicitur *totum potentiale*, ſeu *poteſtativum*, reſpectu ipſorum. Inferiora verò per ordinem ad rationem communem vocantur *partes ſubjectæ*, vel *ſubjectivæ*: quia de illis ut ſubjectis prædicatur totum iſtiuſmodi.

DE DIVISIONE PER SE.

55 IGITUR diviſio *per ſe*, cùm eſt *actualis*, diſtribuit totum in partes, quas actu continet. Hæc poteſt eſſe vel *integralis*, vel *eſſentialis*. Dicitur *integralis*, dum recenſet partes, quibus aliqua magnitudo extenditur: quæ partes interdùm ſunt heterogeneæ, ideſt, diſsimilares; ut partes corporis humani; interdùm homogeneæ, id eſt, ſimilares, ut partes aquæ. Dicitur verò *eſſentialis*, dum recenſet partes, ſine quibus intelligi nequit eſſentia rei: tumque appellabitur diviſio *phyſica*, ſi partes phyſicas exhibeat, ut hæc, *Hominis alia pars corpus, alia rationalis animus*: ſi autem partes ſint metaphyſicæ, diviſio quoque *metaphyſica* nuncupabitur, ut iſta, *Hominis alia pars animal, alia rationale.*

56 Diviſio *per ſe*, cùm eſt *potentialis*, diſtribuit totum in partes ſubjectivas, ſive in inferiora, de quibus per ſe prædicari poteſt. Eſt autem diviſio iſta multiplex. 1. generis univerſalioris in anguſtiora genera, ſive in ſpecies ſubalternas, ut diviſio *ſubſtantiæ* in *corpus*, & *ſpiritum*.

2. ge-

2. generis in ſpecies atomas, ut diviſio *elementi* in *ignem*, *aërem*, *aquam*, & *terram*. 3. differentiæ ſubalternæ in ſpecies inferiores, ut diviſio *irrationalis* in *avem*, *piſcem*, & *terreſtre brutum*. 4. tam ſpeciei, quàm differentiæ ultimæ, in individua, ut diviſio *hominis*, aut *rationalis*, in *Petrum*, *Paulum*, *Joannem*, *&c.*. Sed hæc poſtrema diviſio non eſt ſcientifica; tum quia individua ſunt infinita; tum quia diſtinctio purè numeralis in Scientijs contemnitur.

De Diviſione per accidens.

57 DIVISIO *per accidens*, ſive *accidentalis*, tum fit, cùm ex parte diviſi, aut membrorum dividentium, exprimitur aliquid accidentarium ipſis. Poteſt autem fieri totidem modis, quot diviſio *per ſe*. Inprimis, diſtribuendo totum in partes actuales, prout affectas aliquo accidente: v. g. in integrales, *Jaſpidis alia pars viridis*, *alia rubea*: in eſſentiales phyſicas, *Martyris alia pars ardet igne*, *alia charitate*: in eſſentiales metaphyſicas, *Hominis alia pars genus*, *alia differentia*. Deinde, diſtribuendo totum potentiale in partes ſubjectivas, accidente pariter affectas, juxta quatuor modos diviſionis *per ſe*, de quibus num. præced.. Exemplo ſunto diviſiones iſtæ: 1. *animalis* in *plumiferum*, *&* *implume*: 2. *columbæ* in *agreſtem*, *&* *domeſticam*: 3. *irrationalis* in *cicuratum*, & *indomitum*: 4. *hominis*, aut *rationalis*, in *doctum*, & *indoctum*.

58. Præ-

58 Præterea in ordine ad totum potentiale peculiariter diſtingui ſolet triplex diviſio *accidentalis*. Prima dicitur *Subjecti in accidentia*, diſtribuitque totum in membra, quæ ipſi accidunt, v. g. *animal* in *domeſticum*, & *ſilveſtre*. Secunda, *Accidentis in ſubjecta*, quæ totum diſtribuit in membra, quibus ipſum accidit, v. g. *lucidum* in *corpus cœleſte*, & *ſublunare*. Tertia, *Accidentis in accidentia*, in qua & totum membris, & membra toti accidentaria ſunt, ut ſi *album* dividas in *dulce*, & *amarum*. Ex his prima, quando ſubjectum dividit in accidentia propria, valde uſitata eſt loco diviſionis *per ſe*, & *eſſentialis*: quia, cùm deſunt propriæ notiones partium *per ſe*, ut ſæpè accidit, recurrimus ad nomina proprietatum; ut cùm *aſtrà* dividimus in *errantia*, & *inerrantia*.

59 Sed notandum, non quamlibet accidentis diviſionem eſſe *accidentalem*, ſeu *per accidens*. Nam, ſi accidens, ſive in concreto, ſive in abſtracto, dividatur in membra, de quibus per ſe prædicatur, vel quæ ſunt per ſe partes ejus, erit diviſio *per ſe*; v. g. ſi *coloratum* dividatur in *album*, *nigrum*, & *medium colorem*; aut frigus *ſummè intenſum* in *gradus octo*. Immò nec eſt *per accidens* diviſio concreti accidentalis in ſubjectum, & formam, quibus conſtat, v. g. *Simi alia pars naſus*, *alia curvitas*: potiùs enim revocatur ad diviſionem *per ſe*, actualem, & phyſicam.

ADVERTENDA QUÆDAM.

60 NONNULLA ſuperſunt advertenda. 1. Diviſio vocatur *immediata*, quando membra exhibet immediata diviſo; ut cùm *vivens* dividitur in *ſenſitivum*, & *pure vegetativum*: vocatur verò *mediata*, quando, tacitis partibus immediatis, exhibet partes partium; ut ſi dividatur *vivens* in *hominem*, *brutum*, & *plantam.*

61 2. Diviſio potentialis dicitur *univoca*, quando partes omnes propriè participant rationem diviſi, ut in exemplis modò poſitis: dicitur verò *analoga*, quando altera pars propriè, altera impropriè diviſum participat, ut ſi *malum* dividas in *malum culpæ*, & *malum pœnæ*, vel *hominem* in *vivum*, & *pictum.*

62 3. Diviſio non ex eo approbanda eſt, quòd *vera* ſit, ſed quòd *bona*, ſeu *recta*: poteſt quippè veras fortaſsè partes deſignare; & nihilominùs eſſe reprobanda, quia diſſona regulis mox tradendis. 4. Quæſtionis eſt, an diviſio eſſentialis & actualis à definitione differat? Sed quidquid ſit de quæſtione iſtâ (cui forſan in Logicâ locus erit), ſaltem diviſio potentialis, quæ potior eſt, & uſitatior in Scientijs, à definitione diſtinguitur: quod ſufficit, ut diviſio, & definitio conſtituant modos ſciendi ſimpliciter diverſos.

CA-

Digitized by Google

CAP. VI.

LEGES RECTÆ DIVISIONIS: ET VARIUS exinde locus arguendi.

63 RECTÆ diviſionis prima regula eſt: *Ut membra dividentia, ſimul accepta, diviſo adæquentur.* In hanc regulam peccat diviſio, quæ vel pauciora, vel plura membra comprehendit, quàm diviſum; ut ſi *animal* dividatur in *hominem*, & *leonem*; vel in *hominem*, *brutum*, & *arborem*. Secunda regula: *Ut diviſum latiùs pateat, plùſve contineat, quàm membra ſingula*: alioqui totum non erit majus ſuâ parte. Quare vitiosè divides *animal* in *ſenſitivum*, & *rationale*; quia tam latè patet *ſenſitivum*, quàm *animal*.

✝ 64 *Dices*: eſſentia metaphyſica hominis diviſione actuali dividitur in *animal*, & *rationale*; ubi altera pars, nempe *animal*, latiùs patet, quàm homo; & altera, nempe *rationale*, non minùs extenditur, quàm diviſum. *Reſp.* In diviſione metaphyſicâ totius actualis nec minoritas partis, nec totius majoritas, ſumitur ab extenſione logicâ, ſeu potentiali, ſed tantùm à perfectione intenſivâ, quam formaliter important ſub proprijs conceptibus pars & totum. Hæc autem perfectio minor eſt in animali, & rationali, ſingulatim acceptis, quàm in totâ hominis eſſentiâ. Solùm ergo attenditur extenſio logica (id eſt, ma-

major, aut minor univerſalitas, ſeu prædicabilitas) in diviſione totius potentialis.

65 Tertia regula: *Ut membra dividentia ſint invicem oppoſita, ſeu repugnantia*; id eſt, ut diſtinguantur invicèm, ſi non re, ſaltem ratione, nec alterum contineatur in altero, vel ſub altero: ſic enim in præſenti accipitur nomen *oppoſitionis*, aut *repugnantiæ*. Unde malè diviſeris *vivens* in *plantam*, *animal*, & *hominem*; cùm jam ſub animali contineatur homo. Benè tamen divides *potentiam rationalem* in *memoriam*, *intellectum*, & *voluntatem*: quia, ſi non re, ſaltem ratione, hæc inter ſe membra diſtinguuntur. Immò interdùm ſufficit diſtinctio rationis imperfecta; ut cùm *attributum entis* dividitur in *verum*, *bonum*, & *unum*.

66 Quædam exceptio ab hac regulâ communiter admittitur: nimirùm quando unum membrum ſic in alio includitur, ut tamen independenter ab incluſione, ſeu pro priori ad illam, verè participet rationem diviſi. Undè recta cenſetur diviſio *ſubſtantiæ* in *completam*, & *incompletam*: quia, licèt hæc in illâ includatur, tamen pro priori ad incluſionem, per ſe immediatè participat rationem communem ſubſtantiæ.

67 Quarta regula: *Ne diviſio totius poſitivi fiat in membra negativa, ſeu vocibus negativis expreſſa*. Quare non rectè divides *animal* v. g., in *hominem*, & *non hominem*. Sæpè tamen vocibus ne-

negationem ſapientibus utimur circa membrum alterum, vel ex penuriâ nominum, vel ad prolixitatem evitandam, vel etiam quia nonnulla vocabula ſono negativa, poſitivum jam ſignificatum uſu induerunt, v. g. *irrationale*, *inſenſibile*, *inanimatum*, *incorporeum*.

68 Quinta: *Ut, quoad fieri poſſit, diviſio brevis ſit*: alitèr non erit modus ſciendi, ſed confundendi. Si enim in *animalis* diviſione ſingulas avium, piſcium, & terreſtrium ſpecies enumerare velis, fuſiſsimum, adeòque confuſiſsimum cathalogum efficies. Hinc diviſio bimembris (qualis plerumque erit, ſi fuerit *immediata*) procuranda eſt ut commodior. Quia tamen ſæpe cogimur ad remota membra recurrere, eo quòd propinquiora nos lateant, curandum ſaltem, ut tribus aut quatuor membris diviſio finiatur: quamquam aliquando plura requirit vel natura diviſi, vel doctrinæ utilitas, ut cùm Accidens in novem Prædicamenta diſtribuitur.

69 At legem iſtam non violat, qui diviſioni multas addit ſubdiviſiones, ſeu qui, diviſo priùs toto in pauca membra, hæc deinde ſingula ſubdividit in ſuas partes, & has iterùm in alias, dum ita intereſt doctrinæ. Id enim non eſt diviſionem efficere prolixam, ſed diviſiones breves & commodas multiplicare. Sic *terminus* logicus multifariàm ſine vitio dividitur.

Lo-

LOCI ARGUENDI A DIVISIONE.

70 DIVISIO ritè facta aliquot præbet locos arguendi, ſive leges aliquot bonæ conſequentiæ. Nam primo: *De quocumque dicitur diviſum, dicuntur & membra dividentia disjunctivè: negantur verò omnia & ſingula, de quocumque diviſum negatur.* Ita deducitur ex prima regula. Hinc benè arguitur: *Eſt animal; ergo, vel homo, vel brutum.* Item, *Non eſt animal; ergo nec homo, nec brutum.* Secundò: *Ab affirmatione cujuslibet membri infertur affirmatio diviſi: hujus verò negatio non infertur ex negatione membri unius, ſed omnium.* Quare tutò inferes: *Eſt homo, ergo eſt animal.* At non tutò ſic: *Non eſt homo, ergo non eſt animal.* Tutiſsimè tamen ſic: *Non eſt homo, nec brutum, ergo non eſt animal.*

71 Tertiò: *Ab affirmatione diviſi non infertur affirmatio alicujus membri determinati, ſive unius præ alio.* Unde non valet: *Eſt animal, ergo eſt homo.* Quartò: *Si tamen affirmato diviſo, negetur alterum membrum, ſequitur affirmatio alterius, quando membra ſunt duo; quando autem plura, ſi negentur cætera præter unum.* Unde rectè inferes: *Eſt animal, & non brutum, ergo eſt homo*: item, *Eſt elementum, & non aqua, nec terra, nec ignis, ergo eſt aër.*

72 Quintò: *Ab affirmatione unius membri ſequitur negatio alterius, vel cæterorum*, eo ſcilicèt pacto, quo diſtinguuntur invicem, nem-

pè vel realitèr, vel formaliter, juxta regulam tertiam rectæ diviſionis. Ex. gr. *Hoc animal eſt brutum, ergo non eſt homo*: item (poſitâ identitate reali potentiarum), *Hæc animæ potentia eſt intellectus, ergo non eſt formaliter voluntas, nec memoria.*

73 Hos quinque locos arguendi præbet diviſio potentialis. Solus autem quintus valet in diviſione actuali. Quamquàm & in hac valere poſſunt reliqui, ſi reformentur hoc modo. 1.: *De quocumque dicitur, aut negatur diviſum, dicuntur pariter, aut negantur partes ſimul ſumptæ, & vice verſa.* 2.: *De quocumque negatur pars metaphyſica, negatur diviſum; ut etiam de quocumque negatur conſtare parte phyſicâ diviſi.*

74 3.: *De quocumque affirmatur diviſum, affirmatur quælibet ex partibus metaphyſicis; ut etiam conſtare qualibet ex phyſicis.* 4.: *De quocumque affirmatur pars metaphyſica formalis (vel etiam conſtare parte formali phyſicâ), diviſum affirmatur: ſed aliter cenſendum de parte materiali.* In metaphyſicis pars formalis eſt differentia, materialis eſt genus; ut in phyſicis formalis pars eſt forma, materialis verò ſubjectum. Hinc rectè arguitur: *Eſt rationale* (vel, *conſtat animâ rationali*), *ergo eſt homo.* At non rectè ſic: *Eſt animal* (vel, *conſtat corpore*), *ergo eſt homo.*

CAP. VII.

DE ARGUMENTATIONE REMISSIVE.

75 SUPEREST tertia ſpecies modi ſciendi *argumentatio* : quæ ſolet definiri ſic , *Oratio* , *in qua unum infertur ex alio*; vel ſic, *Oratio*, *in qua* , *uno dato* , *aliud ſequitur*. Sed forſitan aptiùs definietur ſic , *Oratio* , *in qua ex unâ ſaltem propoſitione ſequitur alia*. Nam communes illæ definitiones convenire videntur propoſitioni cauſali , & conditionali , quibus nomen *argumentationis* haud convenit, licet in eis inveniatur conſequentia , ſive illatio unius ex alio: non enim quævis conſequentia eſt propria argumentationis , ſed ea tantummodò , quæ dicitur *conſequentia rationalis* , eo quòd importet ratiocinationem , ſeu rationis diſcurſum ex uno ſaltem judicio ad aliud.

76 Porrò in præjactâ definitione ponitur loco generis, non *modus ſciendi* , ſed *oratio* ; tum propter dicta n. 41.; tum quia fortaſſe non omnis argumentatio eſt modus ſciendi (niſi reductivè), ſed illa duntaxat , quæ per eſſentiam ſubjecti probat paſsiones , vel unam proprietatem per aliam. Reliqua definitionis verba exprimunt argumentationis differentiam ab alijs ſciendi modis : ſola quippe argumentatio requirit plures propoſitiones , quarum una ſequatur ex aliâ, vel alijs.

77 Argumentatio itaque conſtat ut minimùm duabus propoſitionibus , quarum una infera-

ratur ex aliâ. Quæ infertur, vocatur *conſequens*, aut *concluſio*: quæ præmittitur, & alteram infert, vocatur *antecedens*. Illatio, ſive deductio conſequentis ex antecedente, vocatur *conſequentia* (ſcilicèt *rationalis*, aut *diſcurſiva*), eamque vocaliter denotat particula *ergo*, vel *igitur*. Poteſt argumentatio concluſionem inferre, non ex unâ tantùm propoſitione, ſed ex pluribus; ut in ſyllogiſmo, & inductione contingit. Sed etiam tunc omnes comprehenduntur nomine *antecedentis*, licèt in ſyllogiſmo peculiariter appellentur *major*, & *minor*.

78 Hæc modò prælibaſſe ſufficiat: nam fuſior argumentationis explicatio ad Diſputationem *6*. reſervatur. Sed hìc notandum, quòd multi nolunt *argumentationis* nomen extendere ad omnem diſcurſum, in quo una propoſitio infertur ex aliâ, v. g. cùm à converſâ ad convertentem arguitur, ut, *Nullus homo eſt lapis, ergo nullus lapis eſt homo*. Quia, inquiunt, argumentatio non eſt ſine argumento: at *argumentum* idem eſt, ac *medium*, id eſt, terminus in antecedente poſitus, qui non tranſit ad conſequens: talis autem terminus non datur in eo diſcurſu.

79 Sed *contrà* eſt, quòd argumentum ab omnibus definitur, *Inventum aliquid ad faciendam fidem*, ideſt, ad perſuadendam concluſionem. At in prędicto diſcurſu datur *inventum* iſtiuſmodi; ſiquidem datur hoc antecedens, *Nullus*

homo eſt lapis, quod utique eſt *inventum aliquid* prorsùs idoneum, ut fidem faciat hujus concluſionis, *Nullus lapis eſt homo*, ſive ut illam perſuadeat omnibus, qui regulam converſionis, & vim terminorum percipiunt. Quarè non omne argumentum eſt medium, ſi medium ſtrictè ſumatur pro termino, qui in antecedente poſitus, non tranſeat ad conſequens.

80 Adde, quòd argumentationis definitio, communiter tradita, tali diſcurſui omninò convenit. Quo circà, ubicumque invenitur diſcurſus cum conſequentiâ rationali, verè datur argumentatio, verèque infertur *unum ex alio*: quia, licèt concluſio in antecedente contineatur implicitè, virtualiter, aut æquivalenter; tamen vel ex tranſpoſitione terminorum, vel ex variatione quantitatis, vel ex modo tendendi, aut ſignificandi, evadit propoſitio aliquatenùs *alia*, ſeu *diverſa* formaliter ab antecedente, diverſumque importat mentis aſſenſum.

DISPUTATIO III.

DE TERMINO.

TRACTATIONEM de Termino hucuſque diſtulimus; quia termini ſunt partes propoſitionis, quam nunc exponere à fundamentis aggredimur. Vox *terminus* multa & varia ſignificat.

cat. In præſenti notanda communis ea notio, quæ dicitur noſſe *terminos*, qui diſputationum idioma novit. Alia tamen eſt notio propriè dialectica, ſeu logica.

CAP. I.

QUID SIT TERMINUS LOGICUS?

1 INTER definitiones termini logici, quæ variè formantur à Dialecticis, præferenda videtur hæc, *Pars, ex qua immediatè componitur ſimplex propoſitio.* Ratio *partis* propoſitionem ſimplicem conſtituentis, ponitur loco generis: componere verò, non utcumque, ſed *immediatè*, differentia eſt ultima, per quam terminus differt ab omni non ipſo, nominatim à litteris, & ſyllabis dictionum, necnon à quibuſvis partibus ſubjectum aut prædicatum integrantibus, quarum nulla eſt terminus abſolutè, ſed tantùm pars termini, aut terminus partialis, utpotè non immediatè componens propoſitionem.

2 Non omnis pars cujuſvis compoſiti eſt immediata. Nam, ut ait D. Thomas in 1. Periher. lect. 6., *Quamvis omnes* partes referantur ad totum „ perfectum, quædam tamen partes referuntur ad „ ipſum immediatè, ſicut paries & tectum ad do- „ mum:.. quædam verò mediantibus partibus „ principalibus, quarum ſunt partes, ſicut lapi- „ des referuntur ad domum *mediante pariete, &c.*. Illæ igitur ſunt partes immediatæ reſpectu artefacti enuntiativi, quibus poſitis, ſola ſupereſt copu-

la, ſeu principalis unio, ut reſultet integra propoſitio. Solæ autem partes immediatæ dicuntur propriè ac ſimpliciter *partes propoſitionis*. Quia, ut ibidem ait Angelic. Doctor, *Pars alicujus totius dicitur propriè illud, quod immediatè venit ad conſtitutionem totius, non autem pars partis.*

3 Unde colliges, in quavis propoſitione ſimplici non niſi duos eſſe terminos, videlicèt ſubjectum, & prædicatum: quia his duobus addita copula propoſitionem conſummat; ac proinde ijs ſolis convenit ratio *partis immediatæ*. Ijſdem congruit nomen *termini*; qua copulam utrimque terminant, tamquam duo extrema. Itaque propoſitio iſta v. g., *Romanus Pontifex eſt indubitanter Vicarius Chriſti*, ſex quidem continet dictiones, terminos verò propriè tales non niſi duos; alterum conſtitutum ex duabus primis dictionibus, quod eſt totale ſubjectum; alterum conflatum ex quatuor reliquis, quod eſt totale prędicatum; nam etiam ad prędicatum pertinet verbum *eſt* quoad ſignificatum principale, ex dictis diſp. 1. n. 56.

4 Si quæras, cur nomen *termini* tribuendum ſit partibus artefacti enuntiativi potiùs, quàm artefacti logici in communi? *Reſp.* Quia ſic docuit Ariſtoteles, communis hac in re Magiſter, qui 1. Prior. c. 1., *Terminum*, inquit, *eum appello, in quem reſolvitur propoſitio, ut prædicatum, & id, de quo prædicatur*: ubi nullum agnoſcit terminum præter partes propoſitionem conſtituentes per modum

duin ſubjecti, & prædicati. Accedit communè Scholarum ſuffragium. Nam Thomiſtæ paſsim definiunt terminum hoc modo, *Signum, ex quo ſimplex conficitur propoſitio*. Authores noſtri, & Scotiſtę frequenter approbant definitionem hanc, *Extremum propoſitionis ſimplicis*: quę definitio, dummodò intelligatur de extremo immediato, cum noſtrâ coincidit.

5 Nec Ariſtoteles (ut hoc obiter moneam) in loco allegato ſubjectum & prædicatum nominat exempli gratiâ; ſed potiùs deſignat ſpecies duas, in quas immediatè & adæquatè dividitur terminus logicus: quemadmodùm, ſiquis diceret, *Animal eſt, quòd ſentire poteſt, ut homo, & brutum*, exprimeret ſpecięs adæquatè dividentes animal. Mens ergo Philoſophi eſt coarctare illud, *in quem reſolvitur propoſitio*, ad ſolas partes immediatas, quæ gerunt munera prædicati & ſubjecti; ne quis putaret, etiam partes partium, aut litteras, in quas propoſitio reſolvitur, eſſe terminos.

6 *Dices*: Ariſtoteles loc. cit. ſolùm explicuit terminum ſyllogiſticum. Non abnuo: ſed hinc infero, nullum eſſe terminum propriè logicum ex mente Ariſtotelis, præter ſyllogiſticum, id eſt, pręter eum, qui proximè utilis eſt ad conficiendum ſyllogiſmum, conſtituendo ſcilicèt propoſitionem; ex quo munere vocatur etiam *terminus enuntiativus*. Profectò, cùm Ariſtoteles minutim explicet quidquid conſtituit artefacta logica, de-

beret pariter explicare terminum logicum non ſyllogiſticum, ſiquem eſſe putaret. Nuſquam autem explicuit.

7 Quapropter omnis terminus *enuntiativus* eſt etiam *ſyllogiſticus*; ſed cum hoc diſcrimine, quòd enuntiativus actualis ſolum eſt ſyllogiſticus in aptitudine proximâ: nam ſyllogiſticus actualis ſuperaddit actuali enuntiativo denominationem *medij*, vel *extremi majoris*, aut *minoris*, quæ provenit ab actuali compoſitione ſyllogiſmi. Ideò autem Ariſtoteles in deſcriptione termini meminit potiùs propoſitionis, quàm ſyllogiſmi, quia terminus non comparatur ad ſyllogiſmum, niſi ut pars partis, ideſt, propoſitionis, quam priùs componere debet, ut eâ mediante veniat in compoſitionem ſyllogiſmi.

8 *Dices* inſuper: Cur ergo non imitamur Ariſtotelem in definiendo terminum per reſolutionem potiùs, quàm per compoſitionem propoſitionis? *Reſp.*. Quia definitio Ariſtotelica, licèt omni & ſoli conveniat termino, non eſt definitio eſſentialis, ſed quædam deſcriptio à ſigno, ex quo facilè devenire poſſimus in definitionem eſſentialem: ex eo enim, quòd reſolutâ propoſitione ſuperſit terminus, facilè quiſque colliget, terminum eſſe partem, ex qua propoſitio componitur. Frequens eſt apud veteres uſus definitionis deſcriptivæ loco eſſentialis, tamquàm magis ad tyronum captum.

Cer-

9 Certè in qualibet parte, ad conſtituendum aliquid deſtinatâ, prius & principalius eſt munus componendi, quàm terminandi reſolutionem compoſiti. Definitio autem eſſentialis debet munus exprimere primarium. Hinc non niſi deſcriptivæ cenſentur definitiones iſtæ: *Propoſitio eſt, in quam reſolvitur ſyllogiſmus*: *Elementum eſt, in quod reſolvitur mixtum*: *Materia prima eſt, in quam ultimò reſolvitur corpus naturale*: & ſimiles aliæ.

10 Hîc advertendum, quòd reſolutio compoſiti eſt duplex: alia *phyſica*, conſiſtens in reali deſtructione compoſiti, quod in partes deſinit abſque unione ſuperſtites, ut cùm domus diruitur, deſinitque in lapides, & ligna: alia *mentalis*, conſiſtens in examine, quo intellectus diſcutit ſtructuram compoſiti, & à toto confusè cognito pergit ac pervenit ad ſingulas ejus partes diſtinctè cognoſcendas. De ſolâ mentali loquitur Ariſtoteles in definitione termini, ut omnes conſentiunt. Et hinc planè ſequitur, eam definitionem non eſſe eſſentialem: nam reſolutio mentalis terminum non facit, ſed præſupponit, & invenit in propoſitione præexiſtente, vel præconcepta.

CAP. II.

DUBIOLA QUÆDAM RESOLVUNTUR.

11 DUB. 1.: utrùm copula enuntiativa ſit terminus? *Reſp.* Copula formalis (de quâ ſolâ poteſt eſſe quæſtio), ſumpta præciſè

sè quatenùs eſt, ſignificatio compoſitionis objectivæ, non eſt terminus: quia non eſt ſimpliciter pars enuntiationis, ſed mera compoſitio, & unio partium: unioni autem non convenit nomen *partis*, niſi adſummùm cum addito diminuente *ut quo*. Accedit, quòd copula nec eſt ſubjectum, nec prædicatum, quibus ſolis tribuit Ariſtoteles nomen *termini*.

12 Hinc inferes, quid ſit dicendum de verbo *eſt* in propoſitione de tertio adjacente, juxta duas ſententias ſuprà relatas diſp. 1. n. 55. & 56. Nimirùm, ſi verbum *eſt* cenſeatur purum ſyncategorema, ſolam ſignificans copulam objectivam cum tempore dependenter ab extremis adjunctis, abſolutè negandum quòd ſit terminus; quia eſt mera copula formalis. Si verò præter copulam objectivam habeat aliud principale ſignificatum, ut vult D. Thomas, diſtingui debent, ſaltem per rationem, in verbo *eſt* categorema, & ſyncategorema, ſeu munus ſignificandi, & munus conſignificandi. Et, ſi ſpectetur verbum *eſt* quatenùs principaliter ſignificans actum eſſendi, erit terminus partialis, utpotè conſtituens & integrans cum adjacente nomine unum prædicatum. Si autem præcisè conſideretur quatenùs conſignificans dependenter ab extremis copulam objectivam (quo ſenſu eſt copula formalis), non erit terminus, ſed mera unio terminorum.

13 *Objicies*: copula eſt forma propoſitionis: ſed

ſed forma eſt pars , & præcipua quidem , in omni compoſito : ergo copula eſt pars præcipua in propoſitione , atque adeò eſt terminus. Conceſſâ *Maj.*,*diſt.Min.*:in omni compoſito naturali,*conc.*; in artificiali, *neg. Min.* , & *Conſeq.*. Forma compoſiti naturalis, cum ſit entitas abſoluta, meretur utique nomen *partis*, v. g. anima hominis.

14 At *in artificialibus ordo & compoſitio tenent locum formæ* , ut ait D. Thomas in 7. Metaph. lect. 7. : ordo autem , aut compoſitio , cùm ſit mera partium modificatio , non computatur inter partes , ut cernitur in compoſitione parietis cum tecto domûs , vel in ordine membrorum ſtatuæ inter ſe. Quin etiam in naturalibus entitas purè modalis, puravè partium unio , non auget numerum partium; ut patet in unione corporis & animæ , vel in unione continuante collum cum capite.

15 Significatur quidem forma nominibus partium artefacti: non enim nudam materiam ſignificat in ſtatuâ nomen *caput* , aut in domo nomen *paries* , aut in enuntiatione nomen *prædicatum*. Attamen licèt forma ſignificetur expreſsiùs, ac formaliùs, non ſignificatur *in recto*,& *ut quod*, ſive ut res , de qua verificentur illa partium nomina ; ſed ſolùm *in obliquo* , & *ut quo*, ſive ut modus , quo materia redditur apta ijs nominibus ſubeundis.

16 Denique negandum eſt , quòd propoſitio

CAP. VII.

DE ARGUMENTATIONE REMISSIVE.

75 SUPEREST tertia ſpecies modi ſciendi *argumentatio* : quæ ſolet definiri ſic , *Oratio , in qua unum infertur ex alio*; vel ſic, *Oratio, in qua , uno dato , aliud ſequitur.* Sed forſitan aptiùs definietur ſic , *Oratio , in qua ex unâ ſaltem propoſitione ſequitur alia.* Nam communes illæ definitiones convenire videntur propoſitioni cauſali , & conditionali , quibus nomen *argumentationis* haud convenit, licet in eis inveniatur conſequentia , ſive illatio unius ex alio: non enim quævis conſequentia eſt propria argumentationis , ſed ea tantummodò , quæ dicitur *conſequentia rationalis* , eo quòd importet ratiocinationem , ſeu rationis diſcurſum ex uno ſaltem judicio ad aliud.

76 Porrò in præjactâ definitione ponitur loco generis, non *modus ſciendi* , ſed *oratio* ; tum propter dicta n. 41.; tum quia fortaſſe non omnis argumentatio eſt modus ſciendi (niſi reductivè), ſed illa duntaxat , quæ per eſſentiam ſubjecti probat paſsiones , vel unam proprietatem per aliam. Reliqua definitionis verba exprimunt argumentationis differentiam ab alijs ſciendi modis : ſola quippe argumentatio requirit plures propoſitiones , quarum una ſequatur ex aliâ, vel alijs.

77 Argumentatio itaque conſtat ut minimùm duabus propoſitionibus , quarum una infera-

Digitized by Google

ratur ex aliâ. Quæ infertur, vocatur *conſequens*, aut *concluſio*: quæ præmittitur, & alteram infert, vocatur *antecedens*. Illatio, ſive deductio conſequentis ex antecedente, vocatur *conſequentia* (ſcilicèt *rationalis*, aut *diſcurſiva*), eamque vocaliter denotat particula *ergo*, vel *igitur*. Poteſt argumentatio concluſionem inferre, non ex unâ tantùm propoſitione, ſed ex pluribus; ut in ſyllogiſmo, & inductione contingit. Sed etiam tunc omnes comprehenduntur nomine *antecedentis*, licèt in ſyllogiſmo peculiariter appellentur *major*, & *minor*.

78 Hæc modò prælibaſſe ſufficiat: nam fuſior argumentationis explicatio ad Diſputationem 6. reſervatur. Sed hic notandum, quòd multi nolunt *argumentationis* nomen extendere ad omnem diſcurſum, in quo una propoſitio infertur ex aliâ, v. g. cùm à converſâ ad convertentem arguitur, ut, *Nullus homo eſt lapis, ergo nullus lapis eſt homo*. Quia, inquiunt, argumentatio non eſt ſine argumento: at *argumentum* idem eſt, ac *medium*, id eſt, terminus in antecedente poſitus, qui non tranſit ad conſequens: talis autem terminus non datur in eo diſcurſu.

79 Sed *contrà* eſt, quòd argumentum ab omnibus definitur, *Inventum aliquid ad faciendam fidem*, ideſt, ad perſuadendam concluſionem. At in prędicto diſcurſu datur *inventum* iſtiuſmodi; ſiquidem datur hoc antecedens, *Nullus*

 bo-

homo eſt lapis, quod utique eſt *inventum aliquid* prorsùs idoneum, ut fidem faciat hujus concluſionis, *Nullus lapis eſt homo*, ſive ut illam perſuadeat omnibus, qui regulam converſionis, & vim terminorum percipiunt. Quarè non omne argumentum eſt medium, ſi medium ſtrictè ſumatur pro termino, qui in antecedente poſitus, non tranſeat ad conſequens.

80 Adde, quòd argumentationis definitio, communiter tradita, tali diſcurſui omninò convenit. Quo circà, ubicumque invenitur diſcurſus cum conſequentiâ rationali, verè datur argumentatio, verèque infertur *unum ex alio*: quia, licèt concluſio in antecedente contineatur implicitè, virtualiter, aut æquivalenter; tamen vel ex tranſpoſitione terminorum, vel ex variatione quantitatis, vel ex modo tendendi, aut ſignificandi, evadit propoſitio aliquatenùs *alia*, ſeu *diverſa* formaliter ab antecedente, diverſumque importat mentis aſſenſum.

DISPUTATIO III.

DE TERMINO.

TRACTATIONEM de Termino hucuſque diſtulimus; quia termini ſunt partes propoſitionis, quam nunc exponere à fundamentis aggredimur. Vox *terminus* multa & varia ſignificat.

Digitized by Google

cat. In præſenti notanda communis ea notio, quâ dicitur noſſe *terminos*, qui diſputationum idioma novit. Alia tamen eſt notio propriè dialectica, ſeu logica.

CAP. I.

QUID SIT TERMINUS LOGICUS?

1 INTER definitiones termini logici, quæ variè formantur à Dialecticis, præferenda videtur hæc, *Pars, ex qua immediatè componitur ſimplex propoſitio.* Ratio *partis* propoſitionem ſimplicem conſtituentis, ponitur loco generis: componere verò, non utcumque, ſed *immediatè*, differentia eſt ultima, per quam terminus differt ab omni non ipſo, nominatim à litteris, & ſyllabis dictionum, necnon à quibuſvis partibus ſubjectum aut prædicatum integrantibus, quarum nulla eſt terminus abſolutè, ſed tantùm pars termini, aut terminus partialis, utpotè non immediatè componens propoſitionem.

2 Non omnis pars cujuſvis compoſiti eſt immediata. Nam, ut ait D. Thomas in 1. Periher. lect. 6., *Quamvis omnes* partes referantur ad totum „ perfectum, quædam tamen partes referuntur ad „ ipſum immediatè, ſicut paries & tectum ad do„ mum:.. quædam verò mediantibus partibus „ principalibus, quarum ſunt partes, ſicut lapi„ des referuntur ad domum *mediante pariete, &c..* Illæ igitur ſunt partes immediatæ reſpectu artefacti enuntiativi, quibus poſitis, ſola ſupereſt copu-

la, ſeu principalis unio, ut reſultet integra propoſitio. Solæ autem partes immediatæ dicuntur propriè ac ſimpliciter *partes propoſitionis*. Quia, ut ibidem ait Angelic. Doctor, *Pars alicujus totius dicitur propriè illud, quod immediatè venit ad conſtitutionem totius, non autem pars partis.*

3 Unde colliges, in quavis propoſitione ſimplici non niſi duos eſſe terminos, videlicèt ſubjectum, & prædicatum: quia his duobus addita copula propoſitionem conſummat; ac proinde ijs ſolis convenit ratio *partis immediatæ*. Ijſdem congruit nomen *termini*; qua copulam utrimque terminant, tamquam duo extrema. Itaque propoſitio iſta v. g., *Romanus Pontifex eſt indubitanter Vicarius Chriſti*, ſex quidem continet dictiones, terminos verò propriè tales non niſi duos; alterum conſtitutum ex duabus primis dictionibus, quod eſt totale ſubjectum; alterum conflatum ex quatuor reliquis, quod eſt totale prędicatum; nam etiam ad prędicatum pertinet verbum *eſt* quoad ſignificatum principale, ex dictis diſp. 1. n. 56.

4 Si quæras, cur nomen *termini* tribuendum ſit partibus artefacti enuntiativi potiùs, quàm artefacti logici in communi? *Reſp.* Quia ſic docuit Ariſtoteles, communis hac in re Magiſter, qui 1. Prior. c. 1., *Terminum*, inquit, *eum appello, in quem reſolvitur propoſitio, ut prædicatum, & id, de quo prædicatur*: ubi nullum agnoſcit terminum præter partes propoſitionem conſtituentes per modum

dum ſubjecti, & prædicati. Accedit communè Scholarum ſuffragium. Nam Thomiſtæ paſsim definiunt terminum hoc modo, *Signum, ex quo ſimplex conficitur propoſitio.* Authores noſtri, & Scotiſtę frequenter approbant definitionem hanc, *Extremum propoſitionis ſimplicis*: quę definitio, dummodò intelligatur de extremo immediato, cum noſtrâ coincidit.

5 Nec Ariſtoteles (ut hoc obiter moneam) in loco allegato ſubjectum & prædicatum nominat exempli gratiâ; ſed potiùs deſignat ſpecies duas, in quas immediatè & adæquatè dividitur terminus logicus: quemadmodùm, ſiquis diceret, *Animal eſt, quòd ſentire poteſt, ut homo, & brutum*, exprimeret ſpecięs adæquatè dividentes animal. Mens ergo Philoſophi eſt coarctare illud, *in quem reſolvitur propoſitio*, ad ſolas partes immediatas, quæ gerunt munera prædicati & ſubjecti; ne quis putaret, etiam partes partium, aut litteras, in quas propoſitio reſolvitur, eſſe terminos.

6 *Dices*: Ariſtoteles loc. cit. ſolùm explicuit terminum ſyllogiſticum. Non abnuo: ſed hinc infero, nullum eſſe terminum propriè logicum ex mente Ariſtotelis, præter ſyllogiſticum, id eſt, pręter eum, qui proximè utilis eſt ad conficiendum ſyllogiſmum, conſtituendo ſcilicèt propoſitionem; ex quo munere vocatur etiam *terminus enuntiativus*. Profectò, cùm Ariſtoteles minutim explicet quidquid conſtituit artefacta logica, de-

Digitized by Google

beret pariter explicare terminum logicum non ſyllogiſticum, ſiquem eſſe putaret. Nuſquam autem explicuit.

7 Quapropter omnis terminus *enuntiativus* eſt etiam *ſyllogiſticus*; ſed cùm hoc diſcrimine, quòd enuntiativus actualis ſolum eſt ſyllogiſticus in aptitudine proximâ: nam ſyllogiſticus actualis ſuperaddit actuali enuntiativo denominationem *medij*, vel *extremi majoris*, aut *minoris*, quæ provenit ab actuali compoſitione ſyllogiſmi. Ideò autem Ariſtoteles in deſcriptione termini meminit potiùs propoſitionis, quàm ſyllogiſmi, quia terminus non comparatur ad ſyllogiſmum, niſi ut pars partis, ideſt, propoſitionis, quam priùs componere debet, ut eâ mediante veniat in compoſitionem ſyllogiſmi.

8 *Dices* inſuper: Cur ergo non imitamur Ariſtotelem in definiendo terminum per reſolutionem potiùs, quàm per compoſitionem propoſitionis? *Reſp.*. Quia definitio Ariſtotelica, licèt omni & ſoli conveniat termino, non eſt definitio eſſentialis, ſed quædam deſcriptio à ſigno, ex quò facilè devenire poſſimus in definitionem eſſentialem: ex eo enim, quòd reſolutâ propoſitione ſuperſit terminus, facilè quiſque colliget, terminum eſſe partem, ex qua propoſitio componitur. Frequens eſt apud veteres uſus definitionis deſcriptivæ loco eſſentialis, tamquàm magis ad tyronum captum.

Cer-

Digitized by Google

9 Certè in qualibet parte, ad conſtituendum aliquid deſtinatâ, prius & principalius eſt munus componendi, quàm terminandi reſolutionem compoſiti. Definitio autem eſſentialis debet munus exprimere primarium. Hinc non niſi deſcriptivæ cenſentur definitiones iſtæ: *Propoſitio eſt, in quam reſolvitur ſyllogiſmus*: *Elementum eſt, in quod reſolvitur mixtum*: *Materia prima eſt, in quam ultimò reſolvitur corpus naturale*: & ſimiles aliæ.

10 Hìc advertendum, quòd reſolutio compoſiti eſt duplex: alia *phyſica*, conſiſtens in reali deſtructione compoſiti, quod in partes deſinit abſque unione ſuperſtites, ut cùm domus diruitur, deſinitque in lapides, & ligna: alia *mentalis*, conſiſtens in examine, quo intellectus diſcutit ſtructuram compoſiti, & à toto confusè cognito pergit ac pervenit ad ſingulas ejus partes diſtinctè cognoſcendas. De ſolâ mentali loquitur Ariſtoteles in definitione termini, ut omnes conſentiunt. Et hinc planè ſequitur, eam definitionem non eſſe eſſentialem: nam reſolutio mentalis terminum non facit, ſed præſupponit, & invenit in propoſitione præexiſtente, vel præconcepta.

CAP. II.

DUBIOLA QUÆDAM RESOLVUNTUR.

11 DUB. 1.: utrùm copula enuntiativa ſit terminus? *Reſp.* Copula formalis (de quâ ſolâ poteſt eſſe quæſtio), ſumpta præciſè

ſè quatenùs eſt, ſignificatio compoſitionis objectivæ, non eſt terminus: quia non eſt ſimpliciter pars enuntiationis, ſed mera compoſitio, & unio partium: unioni autem non convenit nomen *partis*, niſi adſummùm cum addito diminuente *ut quo*. Accedit, quòd copula nec eſt ſubjectum, nec prædicatum, quibus ſolis tribuit Ariſtoteles nomen *termini*.

12 Hinc inferes, quid ſit dicendum de verbo *eſt* in propoſitione de tertio adjacente, juxta duas ſententias ſuprà relatas diſp. 1. n. 55. & 56. Nimirùm, ſi verbum *eſt* cenſeatur purum ſyncategorema, ſolam ſignificans copulam objectivam cum tempore dependenter ab extremis adjunctis, abſolutè negandum quòd ſit terminus; quia eſt mera copula formalis. Si verò præter copulam objectivam habeat aliud principale ſignificatum, ut vult D. Thomas, diſtingui debent, ſaltem per rationem, in verbo *eſt* categorema, & ſyncategorema, ſeu munus ſignificandi, & munus conſignificandi. Et, ſi ſpectetur verbum *eſt* quatenùs principaliter ſignificans actum eſſendi, erit terminus partialis, utpotè conſtituens & integrans cum adjacente nomine unum prædicatum. Si autem præcisè conſideretur quatenùs conſignificans dependenter ab extremis copulam objectivam (quo ſenſu eſt copula formalis), non erit terminus, ſed mera unio terminorum.

13 *Objicies*: copula eſt forma propoſitionis: ſed

ſed forma eſt pars, & præcipua quidem, in omni compoſito: ergo copula eſt pars præcipua in propoſitione, atque adeò eſt terminus. Conceſſâ *Maj.*, *diſt. Min.*: in omni compoſito naturali, *conc.*; in artificiali, *neg. Min.*, & *Cunſeq.*. Forma compoſiti naturalis, cum ſit entitas abſoluta, meretur utique nomen *partis*, v. g. anima hominis.

14 At *in artificialibus ordo & compoſitio tenent locum formæ*, ut ait D. Thomas in 7. Metaph. lect. 7.: ordo autem, aut compoſitio, cùm ſit mera partium modificatio, non computatur inter partes, ut cernitur in compoſitione parietis cum tecto domûs, vel in ordine membrorum ſtatuæ inter ſe. Quin etiam in naturalibus entitas purè modalis, puravè partium unio, non auget numerum partium; ut patet in unione corporis & animæ, vel in unione continuante collum cum capite.

15 Significatur quidem forma nominibus partium artefacti: non enim nudam materiam ſignificat in ſtatuâ nomen *caput*, aut in domo nomen *paries*, aut in enuntiatione nomen *prædicatum*. Attamen licèt forma ſignificetur expreſsiùs, ac formaliùs, non ſignificatur *in recto*, & *ut quod*, ſive ut res, de qua verificentur illa partium nomina; ſed ſolùm *in obliquo*, & *ut quo*, ſive ut modus, quo materia redditur apta ijs nominibus ſubeundis.

16 Denique negandum eſt, quòd propoſitio

tio phyſicè reſolvi poſsit in copulam. Nam verbum extra propoſitionem non manet in eſſe copulæ, ut notavimus Diſp. 1. num. 58. & 59. Idem negandum de reſolutione mentali; quæ non terminatur ad unionem partium, ſed ad partes ipſas: vel certè non fit in copulam, tamquàm in ſubjectum, aut prædicatum, prout exigit Ariſtotelica deſcriptio. Vide alia in noſtr. Summul. fuſior.

17 *Dub.* 2. : utrùm de eſſentiâ termini ſit actu componere propoſitionem? *Reſp.* De eſſentiâ termini actualis eſt actu componere. *Prob.* : quia terminus eſt pars propoſitionis: ſed de eſſentiâ partis actualis eſt actu componere : ergo & de eſſentiâ termini actualis. *Prob. Min.* : quia de eſſentiâ totius actualis eſt actu componi ex partibus: ergo & de eſſentiâ partis actualis eſt actu componere; pars enim & totum correlativa ſunt.

18 Itaque nomen aut verbum extra propoſitionem ſolùm eſt terminus in actu primo, in aptitudine, in potentiâ. Hoc tamen ſufficit, ut abſolutè dicatur terminus: quia ſæpe nomina dicuntur abſolutè de rebus ratione ſolius aptitudinis. Sic v. g. color, actu non viſus, dicitur *objectum* potentiæ viſivæ. Hinc dictio quævis ad propoſitionem idonea, licèt nondùm ſit terminus actualis; vocatur paſsim, & à nobis vocabitur terminus abſolutè.

19 Porrò terminus actualis importat materiam, & formam. Materia eſt illa vox, illudvè ſig-

ſignum, quod ſubit munus ſubjecti, aut prędicati; & quia ad id muneris ſubſternitur compoſitioni, ſeu copulę, vocatur *ſubſtratum*. Forma eſt compoſitio, ſeu copula ipſa; quę non ſolùm eſt forma totius propoſitionis, quatenùs illi pręſtat denominationem *enuntiantis*, vel *affirmantis*, aut *negantis*; ſed etiam eſt forma uniuſcujuſque extremi, ſeu partis immediatę, quatenus alteri tribuit denominationem *ſubjecti*, alteri denominationem *prædicati*, & utrique denominationem *actu componentis*. Sic anima eſt forma hominis, quatenùs illum conſtituit viventem, & rationalem; & eſt forma corporis, quatenùs illud reddit completum, & informatum.

20 *Dub.* 3.: Quęnam vocabula poſsint eſſe termini? *Reſp.* Regula generalis ſit. Quidquid ſe ſolo poteſt gerere munus ſubjecti, aut prædicati, ſimpliciter eſt terminus (nimirùm terminus actualis intra propoſitiones, in quibus gerit id munus, & extra illas terminus in potentiâ, ſed nonniſi reſpectu ipſarum): quidquid verò tale munus obire nequit niſi in conſortio alterius, utſummùm erit terminus cum addito *partialis*.

21 Hinc nomina, pronomina, & verba, ſimpliciter ſunt termini. At adverbia, caſus obliqui, conjunctiones, & alia ſyncategoremata, utſummùm erunt termini partiales: immò vix merentur ſic appellari; quia non tam ſunt partes, quàm colligationes, aut compagines partium oratio-

Digitized by Google

tionis, ut admonet D. Thomas *in* 1. *Perih. lect.* 1..

22 Si tamen ſyncategoremata materialiter accipiantur, poterunt eſſe termini ſimpliciter; nimirùm relatè ad eas tantùm propoſitiones, in quibus materialiter ſubjiciantur aut prædicentur ſine conſortio alterius; cujuſmodi ſunt iſtæ, *Velociter eſt adverbium, Et eſt conjunctio.* Sed nunc loquimur de vocabulis in ſuppoſitione formali. Quo ſenſu verè dicitur, quòd materia vel ſubſtratum termini adæquatè dividitur in nomen, & verbum; dummodò verbum accipiatur ſecundùm principale ſignificatum, prout à copulâ condiſtinctum, ſaltem per rationem.

CAP. III.

MULTIPLEX DIVISIO TERMINI recenſetur, & exponitur.

23 TERMINUS generatim dividitur in *formalem*, & *objectivum.* Formalis (quem ſolum explicare nunc intendimus) eſt immediata pars illius orationis, qua mentaliter, aut vocaliter enuntiamus aliquid. Objectivus eſt res ſignificata per terminum formalem. Dividitur etiam terminus generatim ratione formæ, ſeu compoſitionis actualis, in *ſubjectum*, & *prædicatum*; quas denominationes tribuit eadem copula penès diverſos reſpectus. Ratione autem materiæ generatim dividitur in *nomen*, & *verbum*, ut nuper dictum eſt. Sed alias prætereà diviſiones habet ratione

ne materiæ, vel ſubſtrati, quæ nunc enumerandæ ſunt, & explicandę.

DE TERMINO MENTALI, VOCALI, & ſcripto.

24 TERMINUS ergo dividitur 1. in *mentalem*, *vocalem*, & *ſcriptum.* Mentalis eſt conceptus mentis, ex quo velut ex parte immediatè componitur propoſitio intellectualis. Vocalis eſt pars immediata propoſitionis ore formatæ. Scriptus eſt immediata pars propoſitionis ſcriptæ. Sit nè diviſio iſta univoca, an analoga? quæſtio eſt dependens ex dicendis in Logicâ, ubi diſputabitur, num voces propriè participent logicum artificium?

25 Mentalis terminus ſubdividitur in *ultimatum*, & *non ultimatum.* Ultimatus eſt, qui ex ſigno percipit rem ſignificatam; v. g. conceptus leonis in te excitatus auditâ voce *leo.* Non ultimatus eſt, qui ſignum percipit, ſed ejus ſignificatum non penetrat, aut non advertit. Sic Latinitatis ignarus, dum verba latina legit, vel audit, conceptus format non ultimatos. Subdividitur etiã mentalis terminus in *reflexum*, & *directum.* Reflexus eſt, qui reſpicit alium actum ejuſdem potentiæ, ut cùm cognoſco me cognoſcere. Directus eſt, qui reſpicit quidvis aliud ab actibus ejuſdem potentię diſtinctum. Alias conceptuum ſpecies Animaſtica dabit.

26 Terminus vocalis, alius eſt ſignificativus ad

ad placitum, ut vox *homo*; alius non ita ſignificativus, ut *bliſtiri*. Quæ diviſio locum pariter habet in termino ſcripto. Reliquas termini diviſiones in ſolo ferè vocali termino explicabimus. Quàmvis enim pleræque ad terminum quòque mentalem aptari poſsint, clariùs tamen explicantur, & faciliùs percipiuntur in vocibus.

DE TERMINO CATEGOREMATICO, & ſyncategorematico.

27 DIVIDITUR 2. terminus in *categorematicum*, & *ſyncategorematicum*. Dicitur categorematicus, qui eſt per ſe ſignificativus, ideſt, cujus ſignificatio ita eſt independens ab altero, ut per ſe ſufficiat ad ſubjectum, aut prędicatum. Talia ſunt nomina ſubſtantiva, & pronomina, necnon verba penès ſignificatum principale. Syncategorematicus dicitur, qui non eſt per ſe ſignificans, ſed tantùm conſignificans, ideſt, cujus ſignificatio ita dependet à conſortio alterius, ut ſine illo nec ad ſubjectum ſufficiat, nec ad prædicatum.

28 Hinc inter ſyncategoremata computantur adverbia, caſus obliqui, præpoſitiones, conjunctiones, ſigna *omnis*, *nullus*, *aliquis*, & ſimilia: quia, licèt alijs adjuncta vocibus, ſimul conſignificent, augendo, minuendo, varièque modificando ſignificationem earum, per ſe tamen, ac ſeorſùm accepta, non ſignificant, vel non ita, ut ſubjecti aut prędicati munus obire poſsint in ſuppo-

poſitione formali. Addi poteſt, velut tertia ſpecies hujus diviſionis, terminus *mixtus*, qui virtute continet categorema, & ſyncategorema, v. g. *nemo*, & *nihil*, quæ voces idem valent, ac *nullus homo*, *nulla res*.

29 Tria hîc notabis. *Primum*, diviſionem iſtam non eſſe univocam: quia terminus ſyncategorematicus non eſt terminus propriè ac ſimpliciter, ex dictis n. 21. *Secundum*, copulam formalem, licèt ſit quoddam ſyncategorema, non eſſe terminum ſyncategorematicum: quia non pertinet, etiam partialiter, ad materiam propoſitionis, ſicut pertinent adverbia, conjunctiones, & alia nuper dicta, ſed eſt mera forma modalis. Terminos autem ad materiam propoſitionis ſpectare, docet D. Thomas in 2. Phyſic. lect. 5. *Tertium*, de nominibus adjectivis dubitari, an ſint termini categorematici. Aliqui negant; ſed affirmant alij non improbabiliter.

30 Quia nomen adjectivum non indiget alio nomine, ut prædicetur; cùm enim dicitur, *Petrus eſt doctus*, nomen *doctus* per ſe eſt prædicatum, & quidem totale, ſaltem ſi verbum *eſt* mera ſit copula, ut eſt valde probabile. Nec videtur ibi juxta communem ſenſum ex parte prædicati ſubaudiri nomen *homo*, vel aliud ſubſtantivum; ſicuti ſubauditur in prædicatione caſûs obliqui, v. g. in hac, *Pallium eſt Petri*, ubi ſubintelligitur *ens*, aut *res* Petri.

Digitized by Google

De Termino communi, & ſingulari: tranſcendente; & intranſcendente: univoco, & æquivoco.

31 DIVIDITUR 3. in *communem*, & *ſingularem*. Communis, alius eſt talis voce tenùs, nimirùm æquivocus, de quo infrà: alius & voce, & re ſignificatâ, qui etiam *univerſalis* nuncupatur, ille ſcilicèt, qui multis convenit ſingillatim, eo quod ratio ſignificata multiplicari poſsit in eis. Sic *homo* terminus eſt communis, & univerſalis; quia ſingulatim convenit multis individuis, in quibus multiplicatur ratio hominis. Alij terminum communem definiunt, *qui ſignificat plura diviſim*; quam definitionem eodem ſenſu explicant. Singularis, quem & *diſcretum* vocant, eſt, qui uni tantùm individuo convenit, v. g. nomen *Petrus*, vel nomen *Salmantica*, quod proprium eſt unius tantùm civitatis.

32 Singularis, alius eſt determinatus, quem Grammatici nomen proprium appellant, ut *Petrus*: alius *demonſtrativus*, qui ex termino aliàs communi, & ſigno demonſtrativo conficitur; ut *hic homo*: alius ex hypotheſi, vel ſuppoſitione, ut *Virginis filius*, qui ſoli convenit Chriſto Domino ſuppoſitâ Fide. Addunt aliqui *ſingularem vagum*, cujuſmodi eſt *quidam homo*, indeterminatè ſignificans individuum aliquod naturæ humanæ. Sed hujuſmodi terminus propriè ſingularis non eſt, ſed magis univerſali propinquus, vel inter utrumque medius.

Quæ-

33 Quæri ſolet hîc, an nomen *Deus*, prout ſignificat naturam Divinam, præſcindendo à Trinitate Perſonarum, ſit terminus communis? Quæſtionem hanc latè diſcuſſam dedimus in Summul. fuſior.. Nunc advertendum, quòd nomen hoc in ordine ad tres Perſonas eſt terminus medius inter ſingularem & communem. Nam, ut ait D. Thomas 1. p. q. 39. ar. 4. ad 1., *Hoc nomen* Deus, *licèt conveniat cum terminis ſingularibus in hoc, quòd forma ſignificata non multiplicatur; convenit tamen cum terminis communibus in hoc, quòd forma ſignificata invenitur in pluribus ſuppoſitis.*

34 Terminus communis alius eſt *tranſcendens*, alius *intranſcendens*. Termini tranſcendentes ſunt, qui rebus omnibus cujuſcumque generis conveniunt; notarique ſolent hac barbarâ voce *Reubau*, ubi litteras initiales invenies iſtarum ſex dictionum, *Res*, *Ens*, *Verum*, *Bonum*, *Aliquid*, *Unum*, quæ totidem ſunt termini tranſcendentes. Intranſcendentes autem ſunt, qui rebus certi generis aut ſpeciei adſtringuntur, v. g. *lapis*, *arbor*, *animal*, *homo*. Sunt & termini, qui *ſupertranſcendentes* appellantur, eo quòd objectis, non modò realibus, ſed fictis etiam aptentur, ut *apprehenſibile*, *cogitabile*, *ſignificabile*.

35 Terminus item communis dividitur, licèt impropriè, in *univocum*, & *æquivocum*. Univocus (qui ſolus propriè communis eſt) ſignificat

immediatè rationem, in qua plura propriè conveniunt, ſeu quæ propriè multiplicatur in pluribus, ut *homo*, vel *animal.* Æquivocus eſt, qui plura inter ſe diverſa ſignificat, quatenùs diverſa. Sic nomen *Gallus* æquivocum eſt; quia & avem ſignificat, & hominem in Galliâ natum, nihil immediatè ſignificando, in quo conveniat: quàmvis enim conveniant in ratione *viventis*, aut *animalis*, hæc tamen ratio non exprimitur eo nomine. Unde talis terminus ſolùm voce tenùs communis eſt. Æquivocis annumerari debent nomina propria, quatenùs varijs individuis impoſita, v. g. nomen *Joannes*, quatenùs dicitur de Baptiſtâ, Evangeliſtâ, Chryſoſtomo, &c.

36 Æquivocus, alius eſt *à caſu*, is nempe, quem modò explicuimus, quique ſimpliciter *æquivocus* appellatur: alius eſt *à conſilio*, qui & *analogus* dicitur, ille ſcilicèt, qui ſignificat rationem aliquomodò convenientem pluribus, ſed non eodem titulo, ac proprietate. Sic nomen *ſanus* analogicè commune eſt cibo, pulſui, & homini; non tamen pari titulo. Nam homini convenit propriè & principaliter, tamquam in ſe habenti ſanitatem: at cibo non niſi quia ſanitatem cauſat; pulſui, quia indicat. Sic etiam non ſolùm homines, ſed & prata *ridere* dicuntur: pratis tamen impropriè convenit riſus.

37 Quando nomen, ultra proprium ſignificatum, ad alia extenditur titulo ſigni, cauſæ, vel effectûs,

vo-

vocatur *analogum attributionis*, ut in exemplo ſanitatis : quando autem titulo cujuſdam ſimilitudinis, *analogum proportionalitatis*, ut in exemplo *riſus*. Communis regula eſt, quòd *Analogum per ſe ſumptum, ſtat pro famoſiori analogato* : ideſt, accipitur pro ſignificato proprio & principali, quando profertur ſine addito : v. g. terminus *homo*, abſolutè dictus, accipitur pro homine vivo, licèt analogicè conveniat etiam mortuo, & picto. Præterea, tam æquivocum, quàm analogum, fit univocum per additum reſtrictivum, v. g. *gallus gallinaceus*, *riſus humanus*.

De Termino collectivo, & diviſivo : complexo, & incomplexo : primæ, & ſecundæ intentionis.

38 DIVIDITUR 4. in *collectivum*, & *diviſivum*. Primus eſt, qui ſignificat plura copulatim, ſeu collectivè, ut nomen *Roma*, quod ſignificat plures cives domoſque collectim. Secundus eſt, qui non ita ſignificat copulatim. Terminus diviſus poteſt eſſe vel ſingularis, ut *Petrus*, vel communis, ut *homo*. Collectivus quòque ſingularis eſt, dum ſignificat collectionem individuam, ut *Roma*; communis verò, dùm ſeorſim convenit multis collectionibus, ut *civitas*.

39 Dividitur 5. in *complexum*, & *incomplexum*. Terminus complexus eſt, in quo aliqua ſaltem pars ſignificat ſeparatim, ut hæc dictio, *homo doctus*. Ut plures voces unum efficiant termi-

Digitized by Google

num complexum, uniri debent aliquo nexu grammaticali, nempe vel conjunctione, vel appoſitione, vel concordantiâ, &c.. Debent item non eſſe omninò ſynonymæ; nam ex his, *Marcus Tullius Cicero*, non fit terminus complexus. Incomplexus eſt, cujus nulla pars ſignificat ſeparatim, v. g. *Salmantica*; cujus partes, *ſal*, & *mantica*, licèt ſignificent ſeparatæ, dum tamen coeunt in unum nomen, non ſignificant ſeparatim. Vide dicta diſp. 1. n. 47.

40 Dividitur 6. in terminum *primæ intentionis*, qui rem ſignificat, prout eſt in ſe independenter ab actibus intellectûs, ut *Petrus*: & in terminum *ſecundæ intentionis*, qui rem ſignificat, ut cognitam, & quaſi actu intellectûs inveſtitam, v. g. *genus* in ſenſu logico; non enim hoc nomen convenit animali nudè ſumpto, ut eſt à parte rei, ſed ſolùm ut cognito per actum præciſivum.

De Termino concreto, & abſtracto: connotativo, & abſoluto: denominativo, & denominante.

41 DIVIDITUR 7. in *concretum*, & *abſtractum*. Concretus ſignificat rem compoſitam ex ſubjecto & formâ, ut *album*, aut *homo*, præſertim ſumptus pro ſuppoſito ſeu perſonâ humanâ, ubi conſideratur humanitas ut forma ſuppoſiti. Abſtractus verò, ſignificat ſolam formam, quaſi à ſubjecto avulſam, ut *albedo*, aut *humanitas*. Sed obſervandum, quòd alia ſunt nomina concreta propriè talia, quæ nimirùm ſignificant rea-

Digitized by Google

realem compoſitionem formæ & ſubjecti: alia ſolùm impropriè, aut imitativè, quæ ſcilicet, quàmvis rem ſignificent omninò ſimplicem, formantur tamen inſtar nominum rerum compoſitarum; ut evenit in nomine *Deus*, & in alijs concretis, quatenùs de Deo prædicantur.

42 Obſervandum inſuper, quòd inter objecta concretorum nominum alia ſunt concreta ſubſtantialia, quæ ſcilicet ex partibus ſubſtantialibus componuntur, ut homo, leo, lapis,&c. Concreta hæc, ſubſtantivè dicta, non ſolum ſubjectum, ſed etiam formam important *in recto*, ſive *ut quod*; nec poſſunt pluralitèr dici, quin multiplicetur forma. Alia vero ſunt concreta accidentalia, quæ nimirum ex aliquo accidente conſtituuntur, ut album, calidum, ſanum,&c. Hæc abſolute dicta, ſolum ſubjectum important *in recto*, ſive *ut quod*; formam autem *in obliquo*, vel etiam *ut quo*; ideòque pluraliter dici poſſunt ex pluralitate ſubjecti, licèt forma non multiplicetur. Hinc, ſi eadem eſſet albedo in tribus ſubjectis, tria forent alba. Contra verò, ſi exiſteret eadem anima rationalis in tribus corporibus, non eſſent tres homines: tria tamen eſſent animata; quia nomine *animati* ſignificatur anima adjectivè, ſeu inſtar accidentis.

43 Porrò, dum ſermo eſt de concre[illegible] importari *in recto*, vel *ut quod*, apud Logic[illegible]m ſonat, ac eſſe id, quod ſuſcipit prædicata, [illegible]nominationes concreti proprias; importari au[illegible]

Digitized by Google

ni obliquo, non eſt in genitivo poni velut terminum extrinſecum habitudinis, ſicut ponitur Deus in hac dictione, *creatura Dei*: ſed idem valet, ac eſſe id, quod tales denominationes non ſuſcipit, ne partialitèr quidem, tametſi conſtituat intrinſecè concretum: ſi tamen ſit ratio ſuſcipiendi, tunc dicitur importari *ut quo*; quia eſt id, quo, ſeu ratione cujus tribuuntur ſubjecto denominationes. V. g. cùm dicitur, *Juſtus eſt filius Dei, & hæres Cœli*, nomine *juſtus* importatur in recto ſolum ſubjectum, nempè homo, vel Angelus, cui ſoli tribuuntur denominationes *filij* & *hæredis*: forma verò, nempè juſtitia, ſeu gratia ſanctificans, in obliquo importatur, quia non eas ſuſcipit denominationes; ſimulque importatur *ut quo*; quia ipſa eſt ratio ſùbjectum habilitans ad ſuſcipiendum.

44 Dividitur 8. in *connotativum*, & *abſolutum*. Connotativus ſignificat rem *per modum alteri adjacentis*. V. g. nomen *juſtus* ſignificat expreſsè juſtitiam tamquam formam, quæ actu afficit ſubjectum, ipſique adjacet; & hoc ipſo connotat ſubjectum aliquod iſtius formæ, id eſt, conſignificat illud confusè, non explicando quodnam ſit. Abſolutus verò ſignificat rem *per modum per ſe ſtantis*, hoc eſt, abſque ullâ mentione ſubjecti, cui adjacet. Unde hi termini, *Deus*, *homo*, *albedo*, *juſtitia*, & ſimiles, ſunt abſoluti.

45 Circa connotativum *obſerva* 1., duplex il-

illi eſſe ſignificatum, *materiale*, & *formale.* Materiale, quod & *ſubſtratum* dicitur, eſt ſubjectum, quod connotat. Formale eſt forma, quam exprimit: & hoc interdum dicitur ſignificatum unicum, quaſi non cenſeatur ſignificari, quod purè connotatur. Hinc eſt vetus illa regula, *Connotativum aliud ſignificat, & de alio dicitur*: id eſt, ſolam formam ſignificat, & tamen pro ſubjecto purè connotato ſupponitur, de illoque prædicatur. *Obſerva* 2., omne nomen adjectivum eſſe connotativum, at non vice verſa; plura quippè pro ſubſtantivis habentur, v. g. *miles*, *artifex*, *imperator*, quæ tamen ſunt connotativa.

46 *Obſerva* 3., omne connotativum eſſe concretum, non tamen è converſo: nam quæ ſignificant concreta ſubſtantialia, ut *homo*, *leo*, *lapis*, connotativa non ſunt, ſed abſoluta, eo quòd non ſignificent naturam ſubſtantialem quaſi adjacentem, ſed potiùs quaſi per ſe ſtantem in ſuppoſito. Unde terminus abſolutus latiùs patet, quàm abſtractus; comprehendit enim omnes abſtractos, & multos prætereà concretos.

47 *Obſerva* 4., terminum *relativum* interdùm appellari connotativum; differre tamen à connotativo propriè dicto; quia relativus ſignificat rem ſub reſpectu ad aliud, non tanquam ad ſubjectum, cui actualiter adjacet, ſed tanquam ad terminum habitudinis, aut ordinis, qui terminus eo ipſo connotatur. Tales ſunt voces *ſervus*, *ſu-*

pe-

Digitized by Google

perior, *filius*, & plures aliæ quatenùs ſignificantes reſpectum ad dominum, ſubditum, patrem, &c. Utraque tamen connotatio ſubjecti, & termini, poteſt in eodem nomine conjungi reſpectu diverſorum, ut patet ijſdem exemplis: nam *ſervus* v. g. connotat duos homines, alterum ut ſubjectum, cui ſervitus adjaçet, alterum ut terminum relationis, nempe dominum. Ex eadem obſervatione diſces, quòd per contrapoſitionem ad *relativum* vocari debet terminus *abſolutus*, quicumque non ſignificat reſpectum ad aliud tamquàm ad terminum, etiamſi aliàs connotativus ſit, v. g. *album*, *calidum*, *ſanctum*.

48 Dividitur 9. in *denominativum*, & *denominantem*. Denominativus definitur, *Connotativus, qui & voce, & ſignificatione deducitur ab alio vocabulo ſimpliciori*: ſic v. g. *candidum* à voce *candor*, & *calidum* à voce *calor* derivatur. Denominans eſt, *à quo alius voce ac ſignificatione deducitur*: v. g. *candor*, aut *calor*.

49 Notandum hîc obiter, quòd aliud eſt *denominativè* prædicari, aliud *eſſentialitèr*. Prædicatur *denominativè*, quod ſubjecto attribuitur ut quid accidentarium, ſive extra eſſentiam ejus: prædicatur verò *eſſentialiter*, quod ad eſſentiam ſubjecti pertinet. Sic *rationale* denominativè dicitur de animali, eſſentialitèr de homine. Paſsim tamèn quælibet attributa, ſeu prædicata, quæ de re aliquâ dicuntur, *denominationes* appellantur.

De

Digitized by Google

De termino finito, & infinito: ac de poſitivo, privativo, & negativo.

50 DIVIDITUR 10. in Terminum *finitum*, & *infinitum*. Finitus dicitur, qui ex modo ſignificandi aliquid determinatè ſignificat, determinatione ſaltem alicujus prædicati communis, qualis eſt in his terminis, *animal*, *ſubſtantia*, *ens*. Infinitus vocatur, qui ex vi ſuæ ſignificationis nihil determinatè ſignificat, nihil ſcilicet determinatè affirmabile de objecto, licèt aliquid determinatè removeat. Hujuſmodi ſunt hę voces, *non-homo*, *non-lapis*, & ſimiles: nam v. g. *non-homo* removet quidem hominem determinatè, ſed nullum determinatè conceptum ingerit de quidditate objecti, cùm poſsit verificari de objecto quolibet præter hominem. Idem quippe valet *non-homo*, ac *quod non eſt homo*; & hic terminus verè prædicatur de leone, de lapide, de quovis alio ente, immò & de carentiâ, vel chimærâ qualibet.

51 Ex hac amplitudine, qua terminus iſte vagari poteſt per infinita entia, & non entia, omniaque indeterminatè ſignificat uno excepto, derivata eſt appellatio *nominis infiniti*. Non tamen idcircò *infinitus* dicitur quicumque terminus ad infinita extenditur: nam terminus tranſcendens, v. g. *ens*, licèt infinitis conveniat rebus, inter finitos computatur; ſicut etiam terminus ſupertranſcendens, v. g. *cogitabile*, licèt extendatur ad en-

entia & nõn entia. Appellationem igitur nominis infiniti reſtrinxit Ariſtoteles (quia ſic ipſe voluit) ad terminos ex negatione & nomine compactos.

52 Immò ex his debet excipi terminus, in quo negatio præponitur nomini tranſcendenti, v. g. *non-ens*, aut *non-res*: quia non ideò nomen tranſcendens infinitatur. Ratio eſt: quia terminus infinitus debet eſſe indifferens ad entia, & non entia, ut monet cum Ariſtotele D. Thomas 1. *Perib. lect.* 4.: at vox, *non-ens*, non ita eſt indifferens, ut conſtat. Accedit, quòd *non-ens* idem ſignificat, ac *non-aliquid*, & hoc idem ſonat, ac *nihil*, qui certè non eſt terminus infinitus. Hoc ipſum puta de termino *non-nihil*, quia idem valet, ac *aliquid*.

53 Notatur hic paſsim, quòd particula *non*, præpoſita ſubjecto enuntiationis, accipitur *infinitanter*, ſi afficiat terminum pro ſubjecto poſitum; accipitur verò *neganter*, ſi afficiat verbum, ſive copulam; & tunc enuntiationem reddit negativam. Unde propoſitio, *non-homo currit*, ſi negatio afficiat verbum, erit negativa, perinde ac iſta, *homo non currit*: ſi verò negatio afficiat terminum *homo*, propoſitio erit affirmativa de ſubjecto infinito, ſic exponenda, *quod non eſt homo, currit*.

54 Dividitur II. in *poſitivum*, *privativum*, & *negativum*. Poſitivus eſt, qui veram enti-

titatem ſeu realitatem ſignificat, ut *homo*, *currens*, *videns*. Privativus ſignificat realis formæ carentiam in ſubjecto capaci talis formæ; v. g. *cœcus*, qui ſignificat carentiam viſûs in ſubjecto ex ſe apto ad videndum, ideòque dici non poteſt de ſubjecto viſûs incapaci, v. g. de lapide. Negativus ſignificat formæ carentiam præſcindendo à capacitate ſubjecti, v. g. *viſu carens*, qui terminus dici poteſt tam de lapide, quam de homine cœco. Pro negativis haberi ſolent *non videns*, *non currens*, quando ſumuntur ut termini complexi; vel quando in eis non attenditur confuſa, & indeterminata ſignificatio, quæ propria eſt termini infiniti, ſed ſolùm expreſſa remotio ſeu negatio rei poſitivæ.

De terminis plurali numero acceptis, & inter ſe collatis.

55 SI terminos plures accipias, & inter ſe conferas in ordine ad conſequentiam, ſive illationem unius ex alio, invenies, alios vocari *pertinentes*, *impertinentes* alios. Impertinentes ſunt, quorum ex altero non ſequitur, nec excluditur alter, ut *muſicus*, & *logicus*, aut *album*, & *dulce*. Pertinentes dicuntur, quorum ab uno ad alterum conſequentia valet. Quòd ſi conſequentia ſit excluſiva, dicuntur *pertinentes repugnantia*; ut *rationale*, & *irrationale*: valet enim, *eſt rationale*, *ergo non eſt irrationale*. Si verò conſequentia ſit aſſertiva, vocantur *pertinentes ſequela*, ut *animal*, & *ſenſitivum*. Rur-

56 Rurſùs pertinentes ſequelâ vocantur *convertibiles*, quando ex altero ad alterum conſecutio reciproca eſt, ut *animal*, & *ſenſitivum.* Vocantur verò *inconvertibiles*, quando conſecutio non eſt mutua, ut *homo*, & *animal.* Item pertinentes repugnantiâ vocantur *diſparati*, quando potiùs diverſitatem præſeferunt, quàm oppoſitionem, ut *equus*, & *canis.* Quando autem in ipſis terminis expreſſa eſt excluſio, dicuntur *oppoſiti.* Et hi ſubdividuntur in *contradictorios*, *contrarios*, *privativos*, *&* *relativos.*

57 Contradictorij ſunt, quorum alter alterum immediatè negat, ut *videns*, & *non videns.* Contrarij ſunt, qui ſignificant formas accidentales invicèm repugnantes in eodem ſubjecto, ut *calidum*, & *frigidum*, vel *album*, & *nigrum.* Privativi ſunt, quorum alter ſignificat formam, alter ejuſdem formæ carentiam in ſubjecto capaci, ut *videns*, & *cæcus.* Relativi ſunt, qui ſignificant reſpectum unius ad alterum, ut *pater*, & *filius*, aut *ſervus*, & *dominus*: qui termini idcircò dicuntur *oppoſiti*, quia nequeunt eidem ſubjecto convenire ſub eodem reſpectu: nemo quippè ſimul eſſe poteſt filius & Pater reſpectu ejuſdem perſonæ, nec Pater aut filius reſpectu ſui.

DIS-

Digitized by Google

DISPUTATIO IV.

DE PROPRIETATIBUS TERMINI LOGICI.

EXPLICATIS naturâ, & ſpeciebus termini logici, ſupereſt ut ejus proprietates explicentur. Septem autèm numerari ſolent: videlicet, *Suppoſitio*, *Status*, *Ampliatio*, *Reſtrictio*, *Diminutio*, *Alienatio*, & *Appellatio*.

CAP. I.

DE SUPPOSITIONE.

1 SUPPOSITIO grammaticè idem ſonat, ac ſubtùs poſitio, vel ſubjectio; quo ſenſu ſoli convenit termino, qui ſubjecti munus gerit in enuntiatione, quique proindè vocatur *verbi ſuppoſitum*. Apud Dialecticos verbum *ſuppono* ſæpè idem ſignificat, ac *præſuppono*, ſeu *præmitto* quaſi pro vero, vel pro confeſſo. Unde ſolet negari ſuppoſitum, vel ſuppoſitio, cùm aliquid falſum pro vero & confeſſo ſtatuitur. Non ita ſumitur Suppoſitio, quatenùs eſt proprietas termini: ſub hac enim notione ſic definiri debet, *Acceptio termini ad manifeſtandum propoſitionis materiam circa quam.*

2 Hæc definitio, quantùm ad ſenſum, recepta ſatis, & communis eſt, convenitque omni & ſoli ſuppoſitioni, quatenùs hæc eſt termini proprietas. Ex ea vero *inferes* 1., quòd ſuppoſitio logica

non

non eſt mera termini ſubrogatio, vel ſubſtitutio qualiſcumque: nam voces ſubſtituuntur pro conceptibus, ut ſcilicet manifeſtent exteriùs, quod interiùs concipitur: nec tamen pro conceptibus ſupponuntur (excipe voces illas, quæ ſunt nomina conceptuum, ut ſunt iſtæ, *cognitio*, *conceptus*, *intellectio*), ſed tantùm pro rebus, de quibus affirmando aut negando loquimur, & quæ ideò vocantur *propoſitionis materia circa quam.* Adde, quòd nec omnis ſuppoſitio termini eſt ſubſtitutio, ut inferiùs notabimus.

3 *Inferes* 2., quòd non datur actualis ſuppoſitio termini, niſi intra propoſitionem: quia extra illam nec datur terminus actualis, nec propoſitionis materia *circa quam. Inferes* 3., quòd in omni propoſitione datur ſuppoſitio terminorum: quia datur eorum acceptio ad manifeſtandum materiam, circa quam verſatur propoſitio. Contrarium docent Thomiſtæ, apud quos ſuppoſitio definitur ſic, *Acceptio termini pro aliquo, de quo verificatur*: ubi ſermo eſt, inquiunt, de ſola verificatione termini, qui poteſt verificari, quàmvis propoſitio ſit falſa.

4 Tunc autem, juxta hos Authores, verificatur terminus, quando res ſignificata exiſtit tempore importato per copulam ſeu verbum propoſitionis, ſive hæc loquatur de præſenti, ſive de præterito, ſive de futuro. Unde licet falſæ ſint hæ propoſitiones, *Ignis eſt frigidus*, *Antichriſtus*

ſal-

Digitized by Google

ſalvabitur, termini tamen, *Ignis*, *Antichriſtus*, verificantur, adeòque ſuppoſitionem habent; quia alter ſignificat ignem verè nunc exiſtentem, alter hominem verè exititurum, juxta exigentiam copulæ, ſeu verbi. E contrario, licèt vera ſit hæc, *Antichriſtus non currit*, terminus tamen *Antichriſtus*, ſuppoſitione caret; quia res ſignificata non exiſtit tempore importato per verbum *currit*.

5 Ex quâ doctrinâ colligunt, ſuppoſitione carere terminos omnes, quibus talis verificatio deeſt. Item, non requiri ſuppoſitionem terminorum ad veritatem propoſitionis negativæ; quia hęc, ut vera ſit, non poſtulat exiſtentiam ſubjecti tempore importato per copulam. Nullam tamen affirmativam ſine terminorum ſuppoſitione veram admittunt. Fundamentum hujus doctrinæ eſt, quòd propoſitio, cujus ſubjectum non verificatur, dicitur eſſe *de ſubjecto non ſupponente*, v. g. hæc, *Antichriſtus currit*: ergo terminus pro ſubjecto poſitus, dum non verificatur, ſuppoſitione caret.

6 Verùm doctrina iſta ſuppoſitionem confundit cum ſtatu poſteà explicando: & impugnatur facilè. 1.: quia in omni propoſitione, ſicuti datur eſſentia termini, dari debet ejus proprietas, ſiquidèm generatim proprietas comitatur eſſentiam: ſed ſuppoſitio eſt proprietas termini: ergo &c. Profectò nihil aliud *ſuppoſitionis* nomine intelligitur juxta communem ſenſum, niſi acceptio,

ſive uſus termini, ut manifeſtemus rem, de qua loquimur, eamque veluti ſub aſpectum ponamus. Id autem in omni propoſitione contingit.

7 2.: quia, licèt nullus exiſteret oculus, veriſsimè diceretur, *Aliquis oculus requiritur ad videndum*, quo in eventu non daretur verificatio termini *oculus* in ſenſu explicato: at nihilominùs daretur ſuppoſitio: ergo hæc non pendet à verificatione termini. *Prob. Min.*:tum quia juxta Contrarios veritas propoſitionis affirmantis exigit ſuppoſitionem terminorum. Tum quia juxta omnes in dicta propoſitione ſubjectum ſupponitur vagè, ſeu confusè; ideoque illi correſpondet deſcenſus disjunctus, ut infrà dicemus: at ſuppoſitio confuſa verè ſuppoſitio eſt, ut nemo dubitat. Idem argumentum fieri poteſt in hac, *Nullus Troianus vivit*, cujus ſubjectum, tametſi careat verificatione termini prætensâ, diſtributivè ſupponitur, ut manifeſtè probat deſcenſus copulativus, videlicet, *ergo nec Hector vivit, nec Paris vivit, &c.*

8 Cùm autem propoſitio dicitur eſſe *de ſubjecto non ſupponente*, locutio iſta vel corrigenda eſt ut impropria (quemadmodum ſi propoſitio diceretur eſſe *de verbo non enuntiante*), vel ſic intelligenda, ut idem ſonet, ac *de ſubjecto non ſupponente verum*, ſumpto verbo *ſuppono* in ſenſu explicato n. 1. Sępè quidem ex parte ſubjecti tacitè aſſeritur, aut implicitè pro vero ſtatuitur, quod re ipsâ non eſt. Id quod fieri ſolet addito

Digitized by Google

relativo, vel adjectivo, vel obliquo, vel etiam prædicato contingenti, cujus applicatio præſupponit exiſtentiam ſubjecti, ut *Aſina Balaam rudit.*

9 His in caſibus negatur *ſuppoſitum*, & propoſitio rejicitur tanquam *de ſubjecto non ſupponente*, non quia terminis deſit ſuppoſitio, ſed quia hæc implicitè affirmat falſum. Quarè ſolùm negatur formalis veritas affirmationis implicitæ, ſeu negatur exiſtere objectum, pro quo terminus ſupponitur. Ceterùm nec omnis ſuppoſitio involvit affirmationem iſtiuſmodi; nec ſi involveret, deſineret eſſe ſuppoſitio propriè talis, tametſi falsò aſſerens; quemadmodùm propoſitio falſa non deſinit eſſe propoſitio verè, ac propriè.

10 *Inferes* 4., quod ſuppoſitio diſtinguitur à ſignificatione Termini, tanquam uſus à re, qua utimur. Undè non ſemper ſupponitur terminus pro omni re, quam ſignificat, ut patet in vocibus æquivocis: nec ſemper pro re diſtinctâ, ut cernitur in ſuppoſitione materiali: nec item vox *homo* v. g. ſupponitur pro conceptu, quamvis eum ſignificet. Prætereà, Terminus invariatâ ſignificatione indifferens eſt ad varium genus ſuppoſitionis, quæ poteſt eſſe jam formalis, jam materialis, jam ſimplex, jam perſonalis, &c.

11 *Inferes* demùm, quòd ſolus dicens, aut utens termino, ſupponit illum pro re, de qua loquitur: ipſe verò terminus non ſupponit, ſed ſupponitur; ſicut non accipit, ſed accipitur. Uſus

tamen in Scholis obtinuit, ut terminus ipſe dicatur activè, ſeu neutraliter *ſupponere*, fortàſſe quia rem quaſi ponit ſub oculis, vel ſub aſpectu mentis.

CAPUT II.

DIVIDITUR, ET SUBDIVIDITUR Suppoſitio.

12 SUPPOSITIO termini dividitur in materialem, & formalem. Materialis eſt acceptio termini pro ſe ipſo, ut *Petrus eſt vox.* Formalis eſt acceptio termini pro alia re diſtinctâ, ut *Petrus eſt homo.* Suppoſitio formalis propriè ſubſtitutio vel ſubrogatio eſt pro alio, ſeu loco alîus, quod ſcilicet ſit propoſitionis *materia circa quam*: unde dixit Ariſtoteles 1. Elench. c. 1., quod vocibus utimur vice rerum; quia res in diſputationem adducere non poſſumus. At ſuppoſitio materialis non propriè ſubſtitutio eſt, ſed tantùm poſitio termini pro ſe, ſive ad manifeſtandum terminum ipſum, qui tùnc ſimul eſt propoſitionis materia *ex qua, & circa quam.*

13 Suppoſitio materialis vocatur *intrinſeca*, quando terminus pro ſe accipitur ſecundùm quod habet à naturâ, ut *Tullius eſt vox*: vocatur verò *extrinſeca*, quando terminus pro ſe accipitur ſecundùm quod habet ab extrinſeco, ſive ab arte, ut *Tullius eſt nomen*, *eſt ſignum ad placitum*, *eſt pes Dactylus.* Suppoſitio formalis (de qua deinceps agemus, quia ſcitu eſt dignior), alia eſt *propria*,

pria, qua terminus accipitur pro re propriè ſignificatâ, ut *Homo eſt vivens*: alia *impropria*, qua terminus pro re metaphoricè ſignificatâ ſupponitur, ut cùm voces, *leo*, *agnus*, *vitis*, pro Chriſto Domino accipiuntur.

14 Alia item eſt *ſimplex*, alia *perſonalis*. Suppoſitio ſimplex à multis definitur, *Acceptio termini pro ſignificato immediato*: perſonalis verò, *Acceptio termini pro ſignificato mediato*. Terminus communis, juxta eoſdem Authores, *immediatè* ſignificat naturam communem ab inferioribus abſtractam; *mediatè* verò, individua ejuſdem naturæ. Terminus autem ſingularis *immediatè* ſignificat propriam rationem talis individui; *mediatè* verò, quod individuo convenit ex parte naturæ ſpecificæ. Hinc terminus *homo*, dum accipitur pro naturâ humanâ in communi, ſupponit ſimpliciter, dum autem pro individuis hominibus, perſonaliter. Similiter terminus *Petrus*, dum accipitur pro hoc individuo ut diſtincto â ceteris, ſupponit ſimplicitèr; dum autem pro hoc individuo ut participante ſpeciem humanam, perſonaliter ſupponit.

15 Rejicienda eſt hæc doctrina, ſaltem quia non benè diſcernit ſuppoſitionem perſonalem à ſimplici, Nam in propoſitione, *Homo eſt animal rationale*, terminus *homo* accipitur pro ſignificato immediato; & tamen ſupponit perſonalitèr, ideòque deſcenſum admittit. Similitèr in hac, *Petrus*

realitèr diſtinguitur à Paulo, perſonaliter ſupponit terminus *Petrus*; cùm tamen pro immediato ſignificato accipiatur.

16 Meliùs ab alijs definitur ſuppoſitio ſimplex, *Acceptio termini pro re ſignificata, ut ſubſtante ſecundis intentionibus*: id eſt, denominationibus, quæ in res derivantur ab actu intellectûs, ſive à modo concipiendi; hæ quippè vocantur in Logicâ *ſecundæ intentiones*: cujuſmodi ſunt *univerſale*, *prædicabile*, *genus*, *ſpecies*, & aliæ ſuo loco explicandæ. Hæc tamen definitio intelligenda eſt de ſecundâ intentione, non ſignificatâ, ſed exercitè præſtitâ per terminum, vel per conceptum ipſi reſpondentem. Poteſt enim terminus ſignificare ſecundam intentionem; & tamen non ſupponere ſimplicitèr; ut cùm dicitur, *omne genus eſt prædicabile*; ubi terminus *genus* ſupponit perſonaliter, cùm ex eo fieri poſsit deſcenſus ad genera ſingula.

17 Suppoſitio verò perſonalis definitur, *Acceptio termini pro re ſignificata ſecundum eſſe primæ intentionis* (ita vocatur illud eſſe, quod rei convenit independentèr à modo noſtro concipiendi), vel potiùs, *ſecundùm eſſe, quod terminus non præſtat exercitè, ſed purè ſignificat.* Sic in propoſitione, *Animal eſt genus*, terminus *animal* ſupponit ſimpliciter; quia ſumitur pro ſignificato, non quidèm nudo, ſed inveſtito ſecundâ intentione, præſtitâ per terminum ipſum, vel per con-

conceptum ipſi reſpondentem; non enim aliter animali convenit eſſe genus. At ob rationem contrariam idem Terminus perſonaliter ſupponit in hac propoſitione, *Animal eſt vivens*; ut patebit conſideranti.

18 Suppoſitio, tum ſimplex, tum perſonalis, convenit etiam termino ſingulari. Nam terminus *Petrus* v. g. in propoſitione, *Petrus eſt individuum ſubjicibile*, ſupponit ſimpliciter; in hac autem, *Petrus eſt homo*, perſonaliter. Suppoſitio ſimplex termini communis vocatur *immobilis*; quia non patitur deſcenſum ad inferiora: non enim ſub illâ terminus accipitur pro nudo ſignificato, quatenùs inferioribus intrinſeco; ſed potiùs quatenùs extrinſecùs inveſtito ſecundâ intentione tali termino correſpondente, quę intentio deſinit eſſe eadem eo ipſo quod exprimantur inferiora ſeorſim. Undè malè argues, *Animal eſt genus*, *ergo Leo eſt genus*; quia ſub nomine *leo* non retinetur ſecunda intentio correſpondens nomini *animal*.

Subdividitur Suppoſitio perſonalis.

19 SUPPOSITIO perſonalis ſubdividitur in *naturalem*, & *accidentalem*. Naturalis eſt, qua terminus accipitur pro omni eo, pro quo natus eſt accipi, hoc eſt, pro toto ſuo ſignificato, ſive exiſtente, ſive poſsibili. Sic accidit in enuntiationibus de materiâ neceſſariâ, vel eſſentiali: nam, cùm dicitur v. g., *Homo eſt rationalis*, terminus *homo* accipi ſolet pro omni homine, ſive

exiſtente, ſive poſsibili. Accidentalis eſt, qua terminus accipitur pro ſignificato ſuo coarctato ad tempus importatum per copulam; ut evenit paſſim in enuntiationibus de materiâ contingente, v. g. *Homo currit*, *fuit albus*, *erit doctus*.

20 Subdividitur item in *ſingularem*, & *communem*: quarum diſcrimen ſumitur ex indole termini. Communis inſupèr ſubdividitur in *diſtributivam*, *copulatam*, *disjunctivam*, & *confuſam*. *Diſtributiva* eſt, qua terminus communis ſumitur pro omnibus inferioribus ſingulatim, ita ut in ſingula reſolvi poſsit reſpectu ejuſdem prædicati, vel ejuſdem ſubjecti. Sic terminus *homo* diſtributivè ſupponit, cùm dicimus, *Omnis homo eſt animal*; quia ita ſumitur pro omnibus hominibus, ut ſingulis conveniat idem prædicatum *animal*.

21 Hæc eadem diſtributiva ſuppoſitio vocatur *abſoluta*, quando univerſalitas nihil excipit: & *exceptiva*, ſive *accommoda*, quando exceptionem patitur, ut *Omnes in Adam peccaverunt*; ubi excipienda eſt Deipara Virgo ſine labe concepta. Rursùs vocatur *completa*, cùm fit *pro ſingulis generum*, id eſt, pro ſingulis individuis ſub communi ſignificato contentis, ut *Omne animal eſt vivens*: vocatur verò *incompleta*, cùm fit *pro generibus ſingulorum*, id eſt, pro aliquo, vel aliquibus individuis ex omni genere, vel ſpecie, ut *Omne animal fuit in arca Noè*; cujus ſenſus eſt, ex omni genere & ſpecie animalium aliquod individuum in arcâ Noè fuiſſe.

Co-

Digitized by Google

22 *Copulata*, ſeu *collectiva*, eſt, qua terminus communis accipitur pro cunctis inferioribus ſimùl, ita ut in ſingula ſeorſim reſolvi nequeat relatè ad idem prædicatum, aut ſubjectum, ſed ſolùm in omnia nominatim expreſſa ſub unâ copulâ enuntiativâ. Sic ut verè dicatur, *Omnes Apoſtoli ſunt duodecim*, terminus *Apoſtoli* debet ſupponere collectivè, ſeu copulatè; quia nequit ſingulis Apoſtolis aptari tale prædicatum.

23 *Disjunctiva*, quæ etiam *determinata*, & *particularis* appellatur, eſt, qua terminus communis accipitur pro omnibus inferioribus ſub disjunctione, ita ut reſolvi poſsit in ſingula per totidem propoſitiones particulâ disjungente prænotatas. Unde, ſi dicas, *Aliquis oculus videt*, terminus *oculus* disjunctivè ſupponit; quia poteſt reſolvi ſic, *vel dexter oculus videt, vel ſiniſter videt.*

24 *Confuſa* (quæ vocatur etiam *vaga, disjuncta, indeterminata*) eſt, qua terminus communis accipitur pro inferioribus vagè, ita ut ſolùm reſolvi queat in inferiora omnia disjunctim expreſſa ſub eadem copulâ enuntiativâ. Sic in hac propoſitione, *Aliquis oculus requiritur ad videndum*, confusè ſupponit terminus *oculus*; quia reſolvi nequit alitèr, quàm ſic, *vel dexter, vel ſiniſter oculus requiritur ad videndũ*: de neutro enim determinatè verificari poteſt quòd requiritur, ſed ſolùm de alterutro disjunctìm ſeu vagè ſumpto.

25 Nota diſcrimen hujus ſuppoſitionis à præ-

præcedente. *Disjunctiva* exigit verificari de re, quæ determinata ſit ex parte objecti, licèt non ex modo ſignificandi: falsò quippè dices, *Aliquis oculus videt*, niſi ex parte objecti detur unus ſaltem oculus determinatè videns. At *confuſa* non exigit ſimilem determinationem ex parte objecti, ut in adducto exemplo videre licet. Idcircò altera ſuppoſitio *determinata*, altera *indeterminata* dicitur.

De Aſcenſu, & Deſcenſu, quatenùs Suppoſitioni reſpondent.

26 CONSEQUENTIA ducta ab inferioribus ad ſuperius, dicitur *aſcenſus*: à ſuperiori autem ad inferiora, vocatur *deſcenſus*. Nomine *ſuperioris* venit quælibet ratio ſignificata termino communi: nomine autem *inferiorum* veniunt ſpecies, aut individua ſub tali ratione contenta. Suppoſitionibus materiali, & ſingulari nullus deſcenſus correſpondet, ut per ſe patet: nullus item ſuppoſitioni ſimplici, ut notavimus n. 18. Sola ergo perſonalis ſuppoſitio termini communis deſcenſum patitur (ideò *mobilis* dicitur) juxta quatuor ſpecies poſtremæ ſubdiviſionis nuper expoſitæ, & juxta quatuor modos, quibus diximus reſolvi poſſe terminum communem. Quarè deſcenſus in præſenti eſt quadruplex, videlicet *copulativus*, *copulatus*, *disjunctivus*, *disjunctus*.

27 *Copulativus* (ita dictus à conjunctione *&*, qua texitur) eſt conſequentia à termino diſtri-

tributivè ſupponente ad inferiora diſtinctè enumerata per ſimplices propoſitiones connexas particulâ *&*, aliâve ſimili; ut, *Omnis homo eſt animal, ergo hic homo eſt animal, & ille eſt animal*, & ſic de cæteris. *Copulatus* eſt conſequentia à termino copulatè ſupponente ad inferiora diſtinctè collecta ſub unâ copulâ enuntiativâ; ut, *Omnes Evangeliſtæ ſunt quatuor, ergo Matheus, Marcus, Lucas, & Joannes ſunt quatuor.*

28 *Disjunctivus* eſt conſequentia à termino disjunctivè ſeu determinatè ſupponente ad inferiora diſtinctè recenſita per ſimplices propoſitiones prænotatas particulâ *vel*, aut ſimili; ut, *Aliquis homo eſt doctus, ergo vel hic homo eſt doctus, vel ille eſt doctus*, & ſic de reliquis. *Disjunctus* eſt conſequentia à termino confusè ſupponente ad inferiora diſtinctè deſignata ſub disjunctione *vel*, in unicâ propoſitione ſimplici; ut, *Aliquis oculus eſt neceſſarius ad videndum, ergo vel dexter, vel ſiniſter oculus eſt neceſſarius.*

29 Duo iſti deſcenſus in eo differunt, quòd *disjunctivus* fieri poteſt, tum per unam ſimplicem propoſitionem de extremo disjuncto, tum per plures ſimplices complexam disjunctivam conſtituentes: at disjunctus non niſi per unam ſimplicem de extremo disjuncto fieri valet; ſi enim fieret per plures, ſic nimirũ, *ergo vel dexter oculus eſt neceſſarius ad videndum, vel ſiniſter eſt neceſſarius*, deduceret propoſitionem falſam, videlicet complexam disjunc

junctivam, in qua nulla ex ſimplicibus vera eſſet: quia de neutro ex oculis determinatè verum eſt, quòd ſit ad videndū neceſſarius, cùm ſufficiat alter.

30 Jam, ſi ordine inverſo procedatur, ſcilicet ab inferioribus ad ſuperius, totidem aſcenſus invenietur, ijſdem nominibus diſtincti, ijſdemque legibus ſubjecti. Debet autèm in utroque invariatum ſervari alterum extremum, cui conjungitur in propoſitione terminus admittens deſcenſum, aut aſcenſum: ita ut, ſi talis terminus ſit ex parte ſubjecti, deſcenſus ad inferiora fiat ſub eodem prædicato; ſi vero ex parte prædicati, deſcenſus retineat idem ſubjectum. V. g. in ſuppoſitione diſtributivâ, ſi deſcendas ex ſubjecto hujus propoſitionis, *Omnis homo eſt animal*, retine in inferioribus idem prædicatum *animal*, ſic nimirùm, *ergo hic homo eſt animal*, *& ille eſt animal*, *&c.*. Si verò deſcendas ex prædicato hujus, *Nullus homo eſt lapis*, retine pro inferioribus idem ſubjectum *nullus homo*, ſic nempè, *Nullus homo eſt hic lapis*, *& nullus homo eſt ille lapis*, &c. Hoc ipſum intellige de aſcenſu; nec non de ſuppoſitionibus alijs juxta modum cujuſque proprium.

31 Tam aſcenſus, quam deſcenſus, ut ritè fiat, debet exhibere inferiora *ſufficientèr enumerata*, id eſt, enumerare debet omnes ſpecies, aut individua omnia ſub communi termino contenta. Uterque autèm ita factus utilis eſt ad probandum tum veritatem, tum falſitatem propoſitionum,

num , ſive de termino communi , ſive de inferioribus : hoc ſenſu ſcilicèt , ut ex veritate propoſitionis de termino communi ſequatur veritas illius aut illarum, ad quas deſcenditur; & vice verſâ in aſcenſu: ſimilitèrque de falſitate ſentiendum. Ratio eſt ; quia tam aſcenſus , quàm deſcenſus, verſatur inter antecedens & conſequens convertibilia. E duobus autem aſſertis convertibilibus, utriuslibet ſeu veritas , ſeu falſitas , probat veritatem , ſeu falſitatem alterius.

32 Sed notandum , quod inferiora , quando ſunt nimis multa, vel infinita, ſufficientèr enumerari cenſentur, ſi numeratis aliquibus addatur, *& eadem eſt ratio de cæteris* , aut quid ſimile. Notandum inſupèr, quòd à termino diſtributivè ſupponente rectè etiam deſcenditur ad quodlibet ex inferioribus , v. g. , *omnis homo currit* , *ergo hic homo currit*; quod pariter valet in negativis. Non tamen rectè aſcenditur, niſi ab omnibus ſufficientèr enumeratis. Contra verò à quolibet inferiori licet aſcendere ad terminum disjunctivè ſupponentem; à quo tamen non licet deſcendere niſi ad omnia cum disjunctione propoſita.

CAP. III.

REGULÆ PRO DISCERNENDA SUPPOSItione traduntur.

33 QUO melius diſcernatur genuinus propoſitionum ſenſus , & Sophiſtarum cavillis occurratur , plurimæ hìc regulæ pro

dig-

dignoſcenda ſuppoſitione, tum ſubjecti, tum prædicati, ad minutias uſque tradi ſolent. Sed nùnc eas duntaxàt dabimus, quæ alicujus momenti eſſe videntur: reliquas vel omittemus penitùs, vel non niſi leviter perſtringemus.

Pro Suppoſitione ſubjecti.

34 PRimò itaque ſuppoſitio ſubjecti ſæpè diſcernitur ex indole prædicati. De ſuppoſitione materiali jam diximus. Formalis plerumquè redditur *ſimplex* à prædicato ſecundæ intentionis; ſempèrque cenſetur *perſonalis* ex prædicato primæ intentionis. Evadit item *naturalis* ex prædicato neceſſario, & *accidentalis* ex contingenti. Ac denique *disjunctiva* ſolet à *confuſa* diſcerni ex prędicato, ſeu verbo; quod, ſi exigit verificari de extremo in re determinato, facit ſubjectum disjunctivè ſupponi; facit verò ſupponi confusè, dum non ita poſtulat verificari.

35 *Secundò* diſcernitur perſonalis ſuppoſitio ſubjecti communis ex adjunctis ſignis. Nam, dum ſubjectum immediatè afficitur ſignis univerſalibus, ut ſunt, *omnis*, *nullus*, diſtributivè ſupponit: quod etiam dici ſolet, quando ſubjecto prępponitur particula *non* (ſumpta negantèr, non infinitàntèr), ut *Non homo currit*, quod perindè ſonat, ac *Nullus homo currit*. Dum verò afficitur ſignis particularibus, ut ſunt, *aliquis*, *quidam*, ſupponit disjunctivè ſeu determinatè, niſi à verbo, aut prædicato trahatur ad ſuppoſitionem confuſam,

ſam, ex dictis num. præced.. Idem intellige, quando terminus communis (ſaltem in materiâ contingenti) nudè jubjicitur ſine ſigno, ut *Homo currit*, quod perinde valet, ac *Aliquis homo currit.*

36 *Tertiò* diſcernitur ex adverbijs temporis, & loci, ſi adſint. Nam *ſempèr*, & *nunquam*, ſunt diſtributiva temporum; *ubiquè*, & *nullibi*, diſtributiva locorum; *aliquandò* disjungit tempora; & *alicubi* loca. Inſupèr verò cùm his adverbiis variè ſupponit terminus communis nudè poſitus, v. g. terminus *homo*: qui quidèm ſupponit confusè cum *ſempèr*, aut *ubiquè*, (ſic paſsim aſſeritur, quamquàm non ſatis video, cur non poſsit ſupponere determinatè), ut ſi dicas, *Semper homo currit*, aut *ubique homo currit*: ſupponit verò diſtributivè cum *numquam*, aut *nullibi*: ac demùm cum *aliquando*, aut *alicubi*, ſupponit determinatè, vel confusè juxta exigentiam prędicati, ſicut aliàs ſine tali adverbio ſupponeret.

37 *Quartò* diſcernitur per ſigna, *uterque*, *alter*, & *neuter*. Hęc ferè nunquam uſurpantur, niſi cum ſermo eſt de binario certo, ac deſignato. Et tùnc *uterque* diſtribuit terminum communem pro unitatibus, ſi prædicatum ſingulis conveniat, ut *uterque equus eſt albus*; ſi verò prædicatum non conveniat niſi utrique ſimul (ut *uterque equus trahit currum*), unitates copulat. *Neuter* unitates diſtribuit ſub quovis prędicato. *Alter* unitates diſjungit vel determinatè, vel confusè, juxta indo-

Digitized by Google

dolem prædicati, ut *Alter oculus videt, Alter oculus requiritur ad videndum.*

38 Si tamèn hæc ſigna forſitàn uſurpentur ſine deſignatione binarii, communis doctrina eſt, quòd *uterque* disjungit binarios, & diſtribuit unitates ipſorum, vel eas copulat, juxta vim prædicati. Unde hæc propoſitio, *uterque homo currit,* ſic reſolvenda eſt, *vel ex hoc hominum binario iſte homo currit & iſte currit, vel ex illo binario iſte currit & ille currit, &c.* Signum *neuter* diſtribuit tam binarios, quam unitates. Signum *alter* & unitates & binarios disjungit, vel confusè, vel determinatè, prout fuerit prædicatum.

39 Idem ferè cenſendum, quando ſubjectum, pluralitèr uſurpatum, immediatè afficitur ſignis numeralibus, ut ſunt *quinque*, *ſex*, *decem*, *&c.* Nam tò *ſex* v. g. indefinitè poſitum, disjungit numeros ſenarios, & unitates in unoquoque diſtribuit, ſi prædicatum conveniat ſingulis, ut *ſex homines currunt*: quæ propoſitio bene reſolvitur ſic: *Ex aliquo hominum ſenario* (ideſt, *vel ex hoc ſenario, vel ex illo, vel ex illo, &c.*) *ſinguli homines currunt*, aut etiam, *iſte homo currit, & ille currit.* Si verò prædicatum requirat unitates illas ſimul ſumptas, tò *ſex* disjungit ſenarios, & in unoquoque copulat unitates, ut *ſex homines concurrunt ad levandum pondus.* Valet hæc regula, etiamſi dicatur *aliqui ſex*: ſi tamèn dicas *omnes ſex*, diſtribues ſenarios omnes, niſi prædicatum collectivum obſtet.

De

Digitized by Google

40 De termino pluralitèr dicto, qui vel nullo ſigno afficitur, vel non niſi aliquo ex his, *omnes*, *aliqui*, *nulli*, ſimiliter ſentiendum. Poteſt enim cum ſigno *omnes*, ex merito prædicati, ſupponi copulatè pro cunctis unitatibus, ut, *Omnes homines hujus populi ſunt tota civitas*: poteſt & pro unitatibus diſtributivè ſupponi, reſolvique in ſingulas, dum prædicatum ita poſtulat, ut, *Omnes homines currunt.* Diſplicet hoc alijs, qui volunt in exemplo iſto, & ſimilibus, tò *homines* ſupponi diſtributivè pro binarijs, & copulatè pro unitatibus binarij cujuſque, ideòque reſolvi non poſſe in unitates ſingulas, ſed in binarios tantùm, hoc modo, *Hi duo homines currunt*, *& illi duo currunt*, *&c.*

41 Hoc verum eſt, ſi retineatur pluralitas in ſubjecto, & prædicato; prout exigere videtur deſcenſus ſtrictè talis, juxta doctrinam n. 30. Sed, quidquid ſit de nomine *deſcenſus*, reſolutio in ſingulas unitates legitima eſt quoad illationem, in prædicto exemplo, & ſimilibus. Quis enim in ſingulos homines non reſolvat propoſitiones iſtas, *Omnes moriemur*, *Omnes per Chriſtum redempti ſumus*, & ſimiles alias? Certè conſequentia valet ad unumquemque.

42 Terminus verò *aliqui homines*, vel etiam nudè *homines* (niſi ratione materiæ ſubintelligas *omnes*) disjungit numeros hominum, ſeu multitudines; homines autem individuos cujuſque nu-

meri vel diſtribuit, vel copulat, juxta meritum prædicati, ut, *Homines currunt*, *Aliqui homines ſunt populus*; quarum ſenſus eſt, *Ex aliqua hominum multitudine ſinguli currunt*, *Aliqua hominum multitudo eſt populus*. Denique terminus *nulli homines* diſtribuit numeros, & fortaſsis etiam unitates, dum prædicatum eſt aptum ſingulis.

Pro Suppoſitione prædicati.

43 PRÆDICATI ſuppoſitio, tum *materialis*, tum *ſimplex*, dignoſci poteſt ex indole ſubjecti; ut in his, *Aliquod nomen eſt Petrus*, *aliquod genus eſt animal*. Pro ſuppoſitione autèm perſonali, *prima regula* ſit: In qualibet negativâ propoſitione prædicatum commune diſtributivè ſupponit, ideòque deſcenſum admittit immediatè, id eſt, etiam abſque reſolutione ſubjecti. Undè propoſitio, *Nullus homo eſt lapis*, benè reſolvitur ſic, *Nullus homo eſt hic lapis*, *& nullus homo eſt ille lapis*, & ſic de reliquis: negatio enim eſt malignantis naturæ, ut ajunt, & vim ſuam diſtribuit per omnia, & ſingula, quæ poſt ſe invenit, etiamſi terminos afficiat mediate tantùm.

44 *Secunda regula*: In affirmativâ univerſali prædicatum commune ſupponit confusè, ideòque deſcenſum non patitur immediatè niſi diſjunctum. Undè hæc, *Omnis homo eſt animal*, ſolùm poteſt invariato ſubjecto reſolvi ſic, *Omnis homo eſt hoc animal, vel illud animal, &c.*, ita ut

unis

Digitized by Google

unica ſit propoſitio ſimplex de prædicato disjuncto: quæ quidèm veriſsima eſt; quia idem valet, *Omnis homo*, ac *quilibet homo*, vel *unuſquiſque homo*; de unoquoque autem homine verè dicitur, *eſt aliquod animal*, quod perinde ſonat, ac, *eſt animal hoc, vel illud, vel illud, &c.* Per deſcenſum tamèn disjunctivum non poteſt reſolvi prædicatum affirmativæ univerſalis, niſi mediatè, id eſt, niſi priùs reſolvatur ſubjectum in ſua individua.

45 Generatìm dici ſolet, quòd ſignum univerſale affirmativum, ut *omnis*, diſtribuit terminum, quem immediatè afficit; ſed confundit terminum, quem afficit mediatè, id eſt, mediante alio termino, aut verbo; quo modo in hac, *Omnis homo eſt animal*, ſignum *omnis* afficit prædicatum *animal*: ſignum verò univerſale negativum, ut *nullus*, diſtribuit terminos, quos afficit etiam mediatè: & ſignum particulare, ut *aliquis*, relinquit terminos in eâ ſuppoſitione, quam haberent nudè poſiti ſine ſigno.

46 Ex qua doctrinâ colliges, quid præſtent ſigna iſta in obliquo poſita (ſive ex parte ſubjecti, ſive ex parte prædicati) circa terminos rectos, aut alios, quibus mediatè adjacent; ut ſi dicas, *Cujuslibet hominis, aut alicujus hominis, aut nullius hominis equus currit*, ubi tò *equus*, ſolùm mediatè afficitur per ea ſigna. A regulâ tamen num. præced. excipi debet ſignum univerſale affirmativum,

quod immediatè afficit prædicatum adjacens verbo *eſt*, ut *Omnis homo eſt omne animal rationale*: tunc enim non diſtribuit, ſed copulat tale prædicatum; ideòque falſa eſt propoſitio illa, ut alibi notabimus cum Ariſtotele, & D. Thoma.

47 *Tertia regula*: In affirmativâ de ſubjecto ſingulari, vel de particulari, predicatum commune ſupponit determinatè, poteſtque proindè reſolvi per deſcenſum disjunctivum; ut in his, *Petrus eſt animal*, *Aliquis homo eſt animal*. *Quarta regula*: Verba, *debeo*, *promitto*, *indigeo*, *requiritur*, & ſimilia (quæ vocant ſigna *ſpecialis confuſionis*) confundunt terminum communem, quem reſpiciunt: undè ſi dicas, *Debeo tibi gemmam*, terminus *gemma* ſupponit confusè; quia de nullâ determinatâ gemmâ verificatur, cùm quælibet ſolvendo ſufficiat. Idem puta, cùm terminus pro ſubjecto ponitur, ut *Gemma eſt debita*, *vel Oculus requiritur ad videndum*.

CAP. IV.

EXPLICANTUR ALIÆ TERMINI proprietates.

48 QUÆ ſuperſunt proprietates termini, potius dicendæ ſunt affectiones quædam ſuppoſitionis. Eas tamen oportet diſtinctè noſſe, ut multarum ſenſus propoſitionum faciliùs percipiatur. Solent autem non uno modo ab omnibus explicari: ſed eam explicationem præferemus, quæ magis videbitur inniti ratione, & uſu loquendi,

Sta-

STATUS.

49 STATUS eſt *acceptio termini pro ſignificato ut exiſtente tempore importato per copulam.* Nec limitari debet ad tempus prę-ſens, ut aliqui volunt: terminus enim acceptus pro re præteritâ, aut futurâ ſtatum habebit, dummodò verbum ſit de præterito, aut futuro; eo quòd tùnc ſuppoſitionis ſtatus congruat verbo, ſeu copulæ. Quare in his, *Adamus extitit*, *Elias exiſtit*, *Antichriſtus exiſtet*, datur ſtatus terminorum.

50 Status termini pro ſubjecto poſiti requiritur ad veritatem omnis propoſitionis ſimplicis affirmativæ de prædicato contingenti phyſico, & poſitivo, niſi fortè verbum alienetur modo infra notando. Exemplo ſint propoſitiones iſtæ, *Homo exiſtit*, *currit*, *eſt doctus*, *eſt ſacerdos.* Propoſitio negativa contingens, ut *Antichriſtus non loquitur*, vera eſſe poteſt ſine ſtatu ſubjecti: ſicut etiam affirmativa de prædicato intentionali, ut *Antichriſtus eſt cognitus*; vel de prędicato negativo, aut infinito, ut *Petrus eſt non videns.*

AMPLIATIO.

51 AMPLIATIO ſtatum non excludit; eſt enim *extenſio ſuppoſitionis ultra ſtatum.* Quare dum terminus accipitur etiam in ordine ad aliud tempus præter id, quod prę-ſefert copula, dicitur ampliari. Sic, dum Matth. 11. dicitur, *Cœci vident*, *Claudi ambulant*, *Surdi audiunt*, prędicatum purè ſtat, ſed ſubjectùm pe-

nès materiale ampliatur ad homines exiſtentes etiam tempore prçterito, ſive ad exiſtentes nùnc, & anteà; non enim alitèr ſubire poſſent formas inter ſe contrarias, v. g. cœcitatem, & viſum; quippè quæ ſolùm pro diverſis temporibus convenire poſſunt eidem ſubjecto: undè propoſitiones illæ verificantur, non *in ſenſu compoſito*, ſed *in ſenſu diviſo.*

52 Sæpè tamen verbum ſeu copula, primâ facie præſeferens certam aliquam temporìs differentiam, refertur etiam ad alia tempora; tumque non modò ſubjectum, ſed ipſum quoque verbum, & prædicatum ampliatur. Id evenit in propoſitionibus æternæ veritatis, quæ pro quovis tempore verificantur, ut in hac, *Homo eſt rationalis*: item in dogmaticis de ſubjecto communi, ut *Prædeſtinati ſalvantur*: item, cùm de ſolâ potentiâ, ſeu poſsibilitate ſermo eſt, ut *Homo poteſt eſſe albus.*

53 Diſtingui ſolet duplex ampliationis genus, alterum penes ſignificata, alterum penès tempus. Sed primum nunquam accidit ſine ſecundo; niſi fortè comparando terminos inter ſe duos, communiorem, & minus communem, ut *animal*, & *vivens*, alter vocetur *amplus*, alter *non amplus* reſpectivè: vel niſi dicatur ampliatio quoad ſignificata contingere, quando terminus extenditur ultra ſtrictum ac primævum ſignificatum; ut cùm vox *filius* extenditur etiam ad nepotem; vel cùm

vox

Digitized by Google

vox *ſeptem* accipitur pro numero indefinito.

✝ 54 Vulgata doctrina eſt, quòd terminus ampliatur quoad ſignificatum, quando accipitur pro eo, *quod eſt, vel fuit*, aut etiam pro eo, *quod eſt, vel erit*. Undè verba de præterito, ac de futuro, ampliant ſubjectum; quia in hac propoſitione, *Homo fuit albus*, accipitur *homo* pro eo, qui eſt, vel fuit, hoc eſt, pro eo, qui extitit & exiſtit adhùc, vel extitit & jam non exiſtit: in hac autèm, *Homo erit albus*, ſumitur pro eo, qui eſt, vel erit, hoc eſt, pro eo, qui nùnc exiſtens durabit poſteà, vel nondùm exiſtens poſteà exiſtet.

✝ 55 Sed hæc doctrina videtur improbanda. Quia verbum de præterito determinatè poſtulat ſubjecti exiſtentiam tempore præterito, cùm ſine illâ verificari nequeat (idem intellige pro verbo de futuro quoad exiſtentiam ſubjecti futuro tempore); exiſtentiam autèm de præſenti reſpicit permiſsivè tantùm, quatenùs ſinit, ut ſubjectum retineat adhùc exiſtentiam præhabitam; quam tamèn ut præſentem ſicut non excludit, ita nec exigit veritas propoſitionis de præterito, nec poteſt cum eâ ſolâ ſalvari.

✝ 56 At permiſsio iſtiuſmodi non ſufficit, ut ſubjectum amplietur disjunctivè ad præſens, ſive ad id, quod eſt, vel fuit: alioquin ampliaretur etiam cum verbo de præterito ad tempus futurum, in quo pariter durare permittitur: & cum verbo de præſenti ampliaretur disjunctivè ad id, quod

Digitized by Google

nùnc tantùm exiſtit, vel jam extitit, vel durabit.

RESTRICTIO.

57 RESTRICTIO in ſenſu dialectico eſt *coarctatio termini ad ſuppoſitionem minorem eâ, quam haberet abſolutè poſitus cum eodem ſubjecto, aut prædicato.* Fit autem varijs modis. 1. per adjectivum, ut *Homo doctus diſputat.* 2. per appoſitionem minoris ſubſtantivi, ut *Rex Philippus imperat.* 3. per adverbium, ut *Fortitèr pugnans coronabitur.* 4. per relativum, ut *Homo, qui eſt in foro, ambulat.* 5. per obliquum, ut *Equus Petri eſt albus.* Deniquè per quodvis additum, ſive notam ſubjecto, aut prædicato appoſitam, qua termini amplitudo limitetur.

58 Suppoſitio ſubjecti communis poteſt etiam à prædicato reſtringi, juxta regulam dialecticam, *Talia ſunt ſubjecta, qualia permittuntur à ſuis prædicatis.* Undè prædicatum contingens, quod exigit exiſtentiam ſubjecti de præſenti, ſuppoſitionem ejus naturalem impedit, & disjunctivam, ſeu determinatam inducit; ut cùm dicitur, *Homo currit.* Sed nùnc ſolùm agitur de reſtrictione ex alijs capitibus proveniente. Notandum verò, quod additum reſtrictivum non limitat niſi terminum, quem immediatè afficit, ſive ſit ex parte ſubjecti, ſive prædicati.

Loci arguendi à Reſtrictione.

59 HIC aliquot regulæ tradi ſolent pro legitimâ conſequentiâ à termino reſtric-

tricto ad non reſtrictum, aut è converſo. *Prima regula*: A reſtricto ad non reſtrictum valet affirmativè conſequentia, ſive de ſubjecto, ſive de prædicato ſit ſermo. V. g. *Homo doctus diſputat, ergo homo diſputat. Petrus eſt homo doctus, ergò eſt homo.*

60 *Secunda*: A ſubjecto reſtricto ad non reſtrictum valet conſequentia negativè, ſecùs à prædicato. Hinc rectè argues: *Homo doctus non currit, ergo homo non currit* (ſaltèm ſi detur conſtantia ſubjecti): at non rectè ſic, *Petrus non eſt homo doctus, ergo non eſt homo.*

61 *Tertia*: A ſubjecto non reſtricto, nudè poſito, ad reſtrictum nulla eſt conſequentia (ſaltèm ratione formæ) tam negativè, quàm affirmativè. V. g., *Homo currit, ergo homo doctus currit: Homo non currit, ergo homo doctus non currit.* Si tamèn ſubjectum non reſtrictum diſtributivè ſupponat ex adjuncto ſigno, conſequentia ſtabit; tum negativè, ut *Nullus homo currit, ergo homo doctus non currit*; tum affirmativè, poſitâ conſtantiâ reſtricti, hoc eſt, dummodò conſtet exiſtere objectum ejus: ex hac enim, *Omnis homo currit*, dummodò addas, *& datur homo doctus*, rectè colliges, *ergo homo doctus currit.*

62 *Quarta*: A prędicato non reſtricto ad reſtrictum valet conſequentia negativè, ut, *Lapis non eſt homo, ergo non eſt homo doctus*: ſecùs affirmativè, ut, *Petrus eſt homo, ergo eſt homo doctus.*

Re-

Digitized by Google

dolem prædicati, ut *Alter oculus videt, Alter oculus requiritur ad videndum.*

38 Si tamèn hæc ſigna forſitàn uſurpentur ſine deſignatione binarii, communis doctrina eſt, quòd *uterque* disjungit binarios, & diſtribuit unitates ipſorum, vel eas copulat, juxta vim prædicati. Unde hæc propoſitio, *uterque homo currit*, ſic reſolvenda eſt, *vel ex hoc hominum binario iſte homo currit & iſte currit, vel ex illo binario iſte currit & ille currit, &c.* Signum *neuter* diſtribuit tam binarios, quam unitates. Signum *alter* & unitates & binarios disjungit, vel confusè, vel determinatè, prout fuerit prædicatum.

39 Idem ferè cenſendum, quando ſubjectum, pluralitèr uſurpatum, immediatè afficitur ſignis numeralibus, ut ſunt *quinque*, *ſex*, *decem*, *&c.* Nam tò *ſex* v. g. indefinitè poſitum, disjungit numeros ſenarios, & unitates in unoquoque diſtribuit, ſi prædicatum conveniat ſingulis, ut *ſex homines currunt*: quæ propoſitio bene reſolvitur ſic: *Ex aliquo hominum ſenario* (ideſt, *vel ex hoc ſenario, vel ex illo, vel ex illo, &c.*) *ſinguli homines currunt*, aut etiam, *iſte homo currit, & ille currit.* Si verò prædicatum requirat unitates illas ſimul ſumptas, tò *ſex* disjungit ſenarios, & in unoquoque copulat unitates, ut *ſex homines concurrunt ad levandum pondus.* Valet hæc regula, etiamſi dicatur *aliqui ſex*: ſi tamèn dicas *omnes ſex*, diſtribues ſenarios omnes, niſi prædicatum collectivum obſtet. De

40 De termino pluralitèr dicto, qui vel nullo ſigno afficitur, vel non niſi aliquo ex his, *omnes*, *aliqui*, *nulli*, ſimiliter ſentiendum. Poteſt enim cum ſigno *omnes*, ex merito prædicati, ſupponi copulatè pro cunctis unitatibus, ut, *Omnes homines hujus populi ſunt tota civitas*: poteſt & pro unitatibus diſtributivè ſupponi, reſolvique in ſingulas, dum prædicatum ita poſtulat, ut, *Omnes homines currunt.* Diſplicet hoc alijs, qui volunt in exemplo iſto, & ſimilibus, tò *homines* ſupponi diſtributivè pro binarijs, & copulatè pro unitatibus binarij cujuſque, idcòque reſolvi non poſſe in unitates ſingulas, ſed in binarios tantùm, hoc modo, *Hi duo homines currunt*, *& illi duo currunt*, *&c.*

41 Hoc verum eſt, ſi retineatur pluralitas in ſubjecto, & prædicato; prout exigere videtur deſcenſus ſtrictè talis, juxta doctrinam n. 30. Sed, quidquid ſit de nomine *deſcenſus*, reſolutio in ſingulas unitates legitima eſt quoad illationem, in prædicto exemplo, & ſimilibus. Quis enim in ſingulos homines non reſolvat propoſitiones iſtas, *Omnes moriemur*, *Omnes per Chriſtum redempti ſumus*, & ſimiles alias? Certè conſequentia valet ad unumquemque.

42 Terminus verò *aliqui homines*, vel etiam nudè *homines* (niſi ratione materiæ ſubintelligas *omnes*) disjungit numeros hominum, ſeu multitudines; homines autem individuos cujuſque nu-

meri vel diſtribuit, vel copulat, juxta meritum prædicati, ut, *Homines currunt*, *Aliqui homines ſunt populus*; quarum ſenſus eſt, *Ex aliqua hominum multitudine ſinguli currunt*, *Aliqua hominum multitudo eſt populus*. Denique terminus *nulli homines* diſtribuit numeros, & fortaſsis etiam unitates, dum prædicatum eſt aptum ſingulis.

Pro Suppoſitione prædicati.

43 PRÆDICATI ſuppoſitio, tum *materialis*, tum *ſimplex*, dignoſci poteſt ex indole ſubjecti; ut in his, *Aliquod nomen eſt Petrus*, *aliquod genus eſt animal*. Pro ſuppoſitione autèm perſonali, *prima regula* ſit: In qualibet negativâ propoſitione prædicatum commune diſtributivè ſupponit, ideòque deſcenſum admittit immediatè, id eſt, etiam abſque reſolutione ſubjecti. Undè propoſitio, *Nullus homo eſt lapis*, benè reſolvitur ſic, *Nullus homo eſt hic lapis*, *&* *nullus homo eſt ille lapis*, & ſic de reliquis: negatio enim eſt malignantis naturæ, ut ajunt, & vim ſuam diſtribuit per omnia, & ſingula, quæ poſt ſe invenit, etiamſi terminos afficiat mediate tantùm.

44 *Secunda regula*: In affirmativâ univerſali prædicatum commune ſupponit confusè, ideòque deſcenſum non patitur immediatè niſi disjunctum. Undè hæc, *Omnis homo eſt animal*, ſolùm poteſt invariato ſubjecto reſolvi ſic, *Omnis homo eſt hoc animal*, *vel illud animal*, *&c.*, ita ut

uni-

Digitized by Google

unica ſit propoſitio ſimplex de prædicato disjuncto: quæ quidèm verisſima eſt; quia idem valet, *Omnis homo*, ac *quilibet homo*, vel *unuſquiſque homo*; de unoquoque autem homine verè dicitur, *eſt aliquod animal*, quod perinde ſonat, ac, *eſt animal hoc, vel illud, vel illud, &c.* Per deſcenſum tamèn disjunctivum non poteſt reſolvi prædicatum affirmativæ univerſalis, niſi mediatè, id eſt, niſi priùs reſolvatur ſubjectum in ſua individua.

45 Generatìm dici ſolet, quòd ſignum univerſale affirmativum, ut *omnis*, diſtribuit terminum, quem immediatè afficit; ſed confundit terminum, quem afficit mediatè, id eſt, mediante alio termino, aut verbo; quo modo in hac, *Omnis homo eſt animal*, ſignum *omnis* afficit prædicatum *animal*: ſignum verò univerſale negativum, ut *nullus*, diſtribuit terminos, quos afficit etiam mediatè: & ſignum particulare, ut *aliquis*, relinquit terminos in eâ ſuppoſitione, quam haberent nudè poſiti ſine ſigno.

46 Ex qua doctrinâ colliges, quid præſtent ſigna iſta in obliquo poſita (ſive ex parte ſubjecti, ſive ex parte prædicati) circa terminos rectos, aut alios, quibus mediatè adjacent; ut ſi dicas, *Cujuslibet hominis, aut alicujus hominis, aut nullius hominis equus currit*, ubi tò *equus*, ſolùm mediatè afficitur per ea ſigna. A regulâ tamen num. præced. excipi debet ſignum univerſale affirmativum,

Digitized by Google

quod immediatè afficit prædicatum adjacens verbo *eſt*, ut *Omnis homo eſt omne animal rationale*: tunc enim non diſtribuit, ſed copulat tale prædicatum; ideòque falſa eſt propoſitio illa, ut alibi notabimus cum Ariſtotele, & D. Thoma.

47 *Tertia regula*: In affirmativâ de ſubjecto ſingulari, vel de particulari, prędicatum commune ſupponit determinatè, poteſtque proindè reſolvi per deſcenſum disjunctivum; ut in his, *Petrus eſt animal*, *Aliquis homo eſt animal*. *Quarta regula*: Verba, *debeo*, *promitto*, *indigeo*, *requiritur*, & ſimilia (quæ vocant ſigna *ſpecialis confuſionis*) confundunt terminum communem, quem reſpiciunt: undè ſi dicas, *Debeo tibi gemmam*, terminus *gemma* ſupponit confusè; quia de nullâ determinatâ gemmâ verificatur, cùm quælibet ſolvendo ſufficiat. Idem puta, cùm terminus pro ſubjecto ponitur, ut *Gemma eſt debita*, *vel Oculus requiritur ad videndum*.

CAP. IV.

EXPLICANTUR ALIÆ TERMINI proprietates.

48 QUÆ ſuperſunt proprietates termini, potius dicendæ ſunt affectiones quædam ſuppoſitionis. Eas tamen oportet diſtinctè noſſe, ut multarum ſenſus propoſitionum faciliùs percipiatur. Solent autèm non uno modo ab omnibus explicari: ſed eam explicationem præferemus, quæ magis videbitur inniti ratione, & uſu loquendi.

Digitized by Google

STATUS.

49 STATUS eſt *acceptio termini pro ſignificato ut exiſtente tempore importato per copulam.* Nec limitari debet ad tempus præſens, ut aliqui volunt: terminus enim acceptus pro re præteritâ, aut futurâ ſtatum habebit, dummodò verbum ſit de præterito, aut futuro; eo quòd tùnc ſuppoſitionis ſtatus congruat verbo, ſeu copulæ. Quare in his, *Adamus extitit*, *Elias exiſtit*, *Antichriſtus exiſtet*, datur ſtatus terminorum.

50 Status termini pro ſubjecto poſiti requiritur ad veritatem omnis propoſitionis ſimplicis affirmativæ de prædicato contingenti phyſico, & poſitivo, niſi fortè verbum alienetur modo infra notando. Exemplo ſint propoſitiones iſtæ, *Homo exiſtit*, *currit*, *eſt doctus*, *eſt ſacerdos*. Propoſitio negativa contingens, ut *Antichriſtus non loquitur*, vera eſſe poteſt ſine ſtatu ſubjecti: ſicut etiam affirmativa de prædicato intentionali, ut *Antichriſtus eſt cognitus*; vel de prędicato negativo, aut infinito, ut *Petrus eſt non videns*.

AMPLIATIO.

51 AMPLIATIO ſtatum non excludit; eſt enim *extenſio ſuppoſitionis ultra ſtatum*. Quare dum terminus accipitur etiam in ordine ad aliud tempus præter id, quod pręſefert copula, dicitur ampliari. Sic, dum Matth. 11. dicitur, *Cœci vident*, *Claudi ambulant*, *Surdi audiunt*, prędicatum purè ſtat, ſed ſubjectum penès

nès materiale ampliatur ad homines exiſtentes etiam tempore prǫterito, ſive ad exiſtentes nùnc, & anteà; non enim alitèr ſubire poſſent formas inter ſe contrarias, v. g. cœcitatem, & viſum; quippè quæ ſolùm pro diverſis temporibus convenire poſſunt eidem ſubjecto: undè propoſitiones illæ verificantur, non *in ſenſu compoſito*, ſed *in ſenſu diviſo*.

52. Sæpè tamen verbum ſeu copula, primâ facie præſeferens certam aliquam temporis differentiam, refertur etiam ad alia tempora; tumque non modò ſubjectum, ſed ipſum quoque verbum, & prædicatum ampliatur. Id evenit in propoſitionibus æternæ veritatis, quæ pro quovis tempore verificantur, ut in hac, *Homo eſt rationalis*: item in dogmaticis de ſubjecto communi, ut *Prædeſtinati ſalvantur*: item, cùm de ſolâ potentiâ, ſeu poſsibilitate ſermo eſt, ut *Homo poteſt eſſe albus*.

53 Diſtingui ſolet duplex ampliationis genus, alterum penes ſignificata, alterum penès tempus. Sed primum nunquam accidit ſine ſecundo; niſi fortè comparando terminos inter ſe duos, communiorem, & minus communem, ut *animal*, & *vivens*, alter vocetur *amplus*, alter *non amplus* reſpectivè: vel niſi dicatur ampliatio quoad ſignificata contingere, quando terminus extenditur ultra ſtrictum ac primævum ſignificatum; ut cùm vox *filius* extenditur etiam ad nepotem; vel cùm

vox

vox *ſeptem* accipitur pro numero indefinito.

54 Vulgata doctrina eſt, quòd terminus ampliatur quoad ſignificatum, quando accipitur pro eo, *quod eſt, vel fuit*, aut etiam pro eo, *quod eſt, vel erit*. Undè verba de præterito, ac de futuro, ampliant ſubjectum: quia in hac propoſitione, *Homo fuit albus*, accipitur *homo* pro eo, qui eſt, vel fuit, hoc eſt, pro eo, qui extitit & exiſtit adhùc, vel extitit & jam non exiſtit: in hac autèm, *Homo erit albus*, ſumitur pro eo, qui eſt, vel erit, hoc eſt, pro eo, qui nùnc exiſtens durabit poſteà, vel nondùm exiſtens poſteà exiſtet.

55 Sed hæc doctrina videtur improbanda. Quia verbum de præterito determinatè poſtulat ſubjecti exiſtentiam tempore præterito, cùm ſine illâ verificari nequeat (idem intellige pro verbo de futuro quoad exiſtentiam ſubjecti futuro tempore); exiſtentiam autèm de præſenti reſpicit permiſsivè tantùm, quatenùs ſinit, ut ſubjectum retineat adhùc exiſtentiam præhabitam; quam tamèn ut præſentem ſicut non excludit, ita nec exigit veritas propoſitionis de præterito, nec poteſt cum eâ ſolâ ſalvari.

56 At permiſsio iſtiuſmodi non ſufficit, ut ſubjectum amplietur disjunctivè ad præſens, ſive ad id, quod eſt, vel fuit: alioquin ampliaretur etiam cum verbo de præterito ad tempus futurum, in quo pariter durare permittitur: & cum verbo de præſenti ampliaretur disjunctivè ad id, quod

Digitized by Google

nùnc tantùm exiſtit, vel jam extitit, vel durabit.

RESTRICTIO.

57 RESTRICTIO in ſenſu dialectico eſt *coarctatio termini ad ſuppoſitionem minorem eâ, quam haberet abſolutè poſitus cum eodem ſubjecto, aut prædicato.* Fit autèm varijs modis. 1. per adjectivum, ut *Homo doctus diſputat.* 2. per appoſitionem minoris ſubſtantivi, ut *Rex Philippus imperat.* 3. per adverbium, ut *Fortitèr pugnans coronabitur.* 4. per relativum, ut *Homo, qui eſt in foro, ambulat.* 5. per obliquum, ut *Equus Petri eſt albus.* Deniquè per quodvis additum, ſive notam ſubjecto, aut prædicato appoſitam, qua termini amplitudo limitetur.

58 Suppoſitio ſubjecti communis poteſt etiam à prædicato reſtringi, juxta regulam dialecticam, *Talia ſunt ſubjecta, qualia permittuntur à ſuis prædicatis.* Undè prædicatum contingens, quod exigit exiſtentiam ſubjecti de præſenti, ſuppoſitionem ejus naturalem impedit, & disjunctivam, ſeu determinatam inducit; ut cùm dicitur, *Homo currit.* Sed nùnc ſolùm agitur de reſtrictione ex alijs capitibus proveniente. Notandum verò, quod additum reſtrictivum non limitat niſi terminum, quem immediatè afficit, ſive ſit ex parte ſubjecti, ſive prædicati.

Loci arguendi à Reſtrictione.

59 HIC aliquot regulæ tradi ſolent pro legitimâ conſequentiâ à termino reſtric-

trićto ad non reſtrićtum, aut è converſo. *Prima regula*: A reſtricto ad non reſtrictum valet affirmativè conſequentia, ſive de ſubjecto, ſive de prædicato ſit ſermo. V. g. *Homo doctus diſputat, ergo homo diſputat. Petrus eſt homo doctus, ergò eſt homo.*

60 *Secunda*: A ſubjecto reſtricto ad non reſtrictum valet conſequentia negativè, ſecùs à prædicato. Hinc rectè argues: *Homo doctus non currit, ergo homo non currit* (ſaltèm ſi detur conſtantia ſubjecti): at non rectè ſic, *Petrus non eſt homo doctus, ergo non eſt homo.*

61 *Tertia*: A ſubjecto non reſtricto, nudè poſito, ad reſtrictum nulla eſt conſequentia (ſaltèm ratione formæ) tam negativè, quàm affirmativè. V. g., *Homo currit, ergo homo doctus currit: Homo non currit, ergo homo doctus non currit.* Si tamèn ſubjectum non reſtrictum diſtributivè ſupponat ex adjuncto ſigno, conſequentia ſtabit; tum negativè, ut *Nullus homo currit, ergo homo doctus non currit*; tum affirmativè, poſitâ conſtantiâ reſtricti, hoc eſt, dummodò conſtet exiſtere objectum ejus: ex hac enim, *Omnis homo currit*, dummodò addas, *& datur homo doctus*, rectè colliges, *ergo homo doctus currit.*

62 *Quarta*: A prędicato non reſtricto ad reſtrictum valet conſequentia negativè, ut, *Lapis non eſt homo, ergo non eſt homo doctus*: ſecùs affirmativè, ut, *Petrus eſt homo, ergo eſt homo doctus.*

Re-

Digitized by Google

63 Regulas alij tradunt bonæ, vel malæ conſequentiæ *ab amplo ad non amplum*, & vice versâ. Sed, ſi terminus *amplus* idem ſit ac *non reſtrictus*, & *non amplus* idem, ac *reſtrictus*, regulæ modò poſitæ ſufficiunt; ſicut etiam ſi accipiantur *amplus* & non *amplus* pro communiore & minus communi, ex num. 53. Si verò ſumantur pro excedente & non excedente ſtatum, vix poteſt regula dari generalis, cùm non reddant omnes ſenſum uniformem.

DIMINUTIO.

64 DIMINUTIO eſt *coarctatio ſignificationis termini à toto ad partem*; vel etiam, *reductio ſignificationis abſolutæ ad ſignificationem ſecundum quid*. Sic, cùm dicitur, *Æthiops eſt albus ſecundùm dentes*, vox *albus* eſt terminus diminutus; quia non ſignificat *abſolutè*, & *ſimplicitèr*, ſed tantùm *ſecundùm quid*, ſive *cum addito diminuente*.

65 A termino diminuto ad non diminutum, aut è converſo, nulla eſt conſequentia, niſi in his duntaxat denominationibus, quæ ſuapte naturâ immediatè conveniunt parti, & inde trahuntur ad totum: ex eo enim, quod Petrus ſit capillis criſpus, capite coronatus, mento barbatus, pede claudus, & ſic de alijs, rectè inferes, eſſe abſolutè *criſpum*, *coronatum*, *&c.*

ALIENATIO.

66 ALIENATIO eſt *translatio termini à propriâ ad impropriam ſignificationem.* Fit

Digitized by Google

Fit potiſsimùm per metaphoram, & ironiam. Fit etiam per quodvis additum, quo terminus à proprietate deficiat: V. g. *Homo pictus eſt pulcher*, *Ariſtoteles vivit in memoria hominum*: ubi *pictus*, & *in memoriâ*, dicuntur *addita alienantia* terminum *homo*, & verbum *vivit*.

67 Poteſt alienatio fieri etiam in verbo *eſt*, quando ſcilicet ratione ſubjecti, aut prædicati adjacentis, extrahitur à propriâ ſignificatione exiſtentiæ, vel entitatis actualis: ut cùm dicitur, *Lignum eſt combuſtum*, *Ignis eſt extinctus*, *Homo eſt mortuus*, *aut eſt futurus*.

68 Ad alienationem pertinet *Diſtractio*, quæ à nonnullis ponitur velut diſtincta proprietas termini: & tùnc accidit, cùm terminus ſignificat rem exiſtentem, non in tempore importato per copulam, ſed in alio; ut, *Natus moritur*, *Omnis homo vivens morietur*. In his enim & ſimilibus, alienatur verbum *eſt* imbibitum in verbis *moritur*, *morietur*, quæ perindè ſonant, ac *eſt moriens*, & *moriturus*.

69 Deniquè ad alienationem revocanda eſt *Remotio*, qua videlicèt terminus à ſuo ſignificato removetur vi alicujus additi repugnantis; ut *Equus rationalis currit*. Hæc dicitur *implicatio in terminis*, vel *implicatio in adjecto*, præſertim quando expreſſa in vocibus oppoſitio eſt.

APPEL-

APPELLATIO.

70 APPELLATIO in ſenſu dialectico definitur, *Applicatio ſignificati unius termini ad ſignificatum alterius.* Terminus, qui applicatur, dicitur *appellans*: Terminus, cui alter aptatur, dicitur *appellatus.* Sic, dum ais, *Ariſtoteles eſt magnus Philoſophus*, terminus *magnus* appellat terminum *Philoſophus*; quia magnitudo applicatur ad Philoſophiam Ariſtotelis, non ad ſtaturam. Prædicatum totale ſempèr appellat ſubjectum enuntiationis, de quo affirmatur. Termini verò partiales aliquandò appellant præcipuam partem prędicati, ut in proximo exemplo; aliquando pręcipuam partem ſubjecti, ut *Equus albus currit.*

71 Duplex eſt appellatio, *formalis*, & *materialis.* Formalis eſt *Applicatio ſignificati unius termini ad formale ſignificatum alterius.* Materialis eſt *Applicatio ſignificati unius termini ad materiale ſignificatum alterius.* Forma, vel quaſi forma, quam terminus exprimit quaſi denominantem, dicitur *ſignificatum formale*: hujus autèm formæ ſubjectum, dicitur *ſignificatum materiale.* Dum ergo dicis, *Album eſt coloratum*, appellatio eſt formalis, quia coloratum convenit albo ratione formę, nempè albedinis. Si verò dicas, *Album eſt dulce*, appellatio eſt materialis, quia dulcedo non convenit albo ratione formę, ſeu mediante albedine, ſed aliundè: ideòque albedo tùnc dici-

citur ſe habere *de materiali*, non *de formali.*

72 Sunt, qui nullam appellationem agnoſcunt, niſi formalem: & idcircò docent, omni appellatione carere terminos, qui non formalitèr appellant. Si cum his diſputes, eorum more loquere, ne immoreris in diſsidio vocali.

Regulæ pro Appellatione diſcernendâ.

73 POTISSIMA regula eſt naturalis & obvius propoſitionis ſenſus, qui pendet ex uſu, ex circunſtantijs, & ex indole rerum ſignificatarum. Hinc, quando dicimus, *Bonus latro paradiſum in cruce meruit*, non eſt dubium, quin terminus *bonus* non appellet formalitèr terminum *latro*: quod etiam accidit in his, *Mutus loquitur*, *Cæcus videt*; ubi clarum eſt, locutionem & viſum non applicari ad mutum & cęcum pro formali. Generatìm, quotiès duo termini concurrunt ſignificantes formas oppoſitas, ut *bonus latro*, vel ſaltèm penitùs inconnexas, aut diſparatas, ut *miles muſicus*, appellatio eſt materialis, ſive ex parte ejuſdem, ſive ex parte diverſi extremi collocentur in propoſitione.

74 Appellatio verò formalis in terminis ex ſe capacibus cognoſci poterit regulis hiſce. *Prima*: quando ex parte ſubjecti fit reduplicatio particulis, *ut*, *prout*, *quatenùs*, *in quantum*, *ſecundùm quod*, *&c.*, pręedicatum formalitèr appellat terminum reduplicatum: v. g. *Petrus, in quantum muſicus, eſt bonus.*

Se-

75 *Secunda*: quando duo termini ponuntur ex parte ejuſdem extremi, id eſt, vel ambo ex parte ſubjecti, vel ambo ex parte prędicati, alter alterum appellat formalitèr, ſaltèm ut plurimùm: v. g. *Petrus eſt bonus muſicus*, *Miles veteranus pugnat*.

76 *Tertia*: Terminus ex parte ſubjecti poſitus, cujus formale ſignificatum eſt ratio, fundamentum, aut radix prędicati, formalitèr appellatur à prædicato: ut, *Juſtus eſt hæres Cœli*, *Homicida eſt morte dignus*, *Hic artifex eſt peritus*, *Hic orator eſt eloquens*. Si verò ſignificatum formale ſubjecti nihil conferat ad prædicatum, appellatio erit materialis: ut, *Hic orator eſt claudus*. Si prædicatum ſit indifferens, ut conveniat ſubjecto ratione formæ, vel aliundè, dubia eſt appellatio, debetque præviâ diſtinctione determinari: ut, *Hic artifex eſt nobilis*; ubi incertum eſt, an tò *nobilis* applicetur ſubjecto ratione artis, vel ratione generis.

77 *Quarta*: Caſus obliqui poſſunt etiam vel formalitèr, vel materialitèr appellari, tum ab alio nomine, tum à verbo, juxta ſenſum magis obvium, & uſitatum. Nec audiendi ſunt, qui dicunt, variari ſenſum ex collocatione obliquorum ante, vel poſt verbum, aut rectum, quaſi aliud ſignificet, *Pallium Petri*, quàm *Petri pallium*, aut *Papam vidi*, quàm *Vidi Papam*, aut *Carnes crudas comedi*, quàm *Comedi carnes crudas*. Nihil omninò refert

fert hujuſmodi collocationis varietas ad variandum ſenſum; ut facilè oſtendi poſſet innumeris exemplis latinè ſcribentium. Quotiès ſenſus fuerit anceps, utere diſtinctione.

78 Notandum hic ex D. Thoma, quòd nomina numeralia primitivæ ſpeciei, ut *duo, tres, &c.* adjectivis addita, numerant ſeu multiplicant ſola ſubjecta, & quaſi materialitèr appellant: undè, ſi eadem eſſet albedo in tribus hominibus, exiſterent *tres albi*: &, ſi unico amore duos diligas, erunt *duo dilecti*. Addita verò ſubſtantivis, appellant quaſi formalitèr, quia principalitèr multiplicant ſeu numerant formas: undè in Divina Trinitate non ſunt *tres Dii*, quia Deitas eſt unica, licèt ſint tria ſuppoſita, ſeu tres Perſonæ. Si numerale ſit denominativum, poterit convenire concreto ratione utriuslibet, formæ, vel ſuppoſiti: ideòque Deus rectè dicitur *trinus*, & *unus*.

79 Denique pro argumentatione regula generalis eſt, quòd ex varietate appellationis conſequentia vitiatur. Undè malè ſic argues: *Petrus eſt bonus, & eſt Logicus, ergo eſt bonus Logicus*: aut è converſo, *Petrus eſt bonus Logicus, ergo eſt bonus*. Nam tò *bonus* non eumdem terminum appellat in antecedenti, & conſequenti.

DIS-

DISPUTATIO V.

DE ENUNTIATIONE.

ACCEDIMUS ad contemplandum in ſe ſe totum artefactum, cujus hucuſque partes explicuimus. Ad logicum, inquam, artefactum, quod *Propoſitio*, & *Enuntiatio* dicitur; eſtque plena ſententia, ſive internè concepta, ſive externè prolata: cujus quidditatem, ſpecies, accidentia, & proprietates, nunc brevitèr expediemus.

CAP. I.

QUID SIT ENUNTIATIO, ET QUOTUPLEX.

1 EX doctrinâ Philoſophi 1. *Perih. c.* 4. duplex Enuntiationis definitio eruitur: quarum altera eſt, *Oratio perfecta, quæ vera eſt, aut falſa*: altera, *Oratio perfecta, ſignificans aliquid eſſe, aut non eſſe*; vel, ut docet idem Philoſophus 1. Prior. c. 1., *Affirmatio, aut negatio alicujus de quopiam*. Utraque explicatio ſatis Enuntiationem diſcernit ab omni non ipsâ, proindeque bona eſt in genere deſcriptionis, quo delectantur veteres.

2 Neutra tamèn eſſentialis definitio eſt Enuntiationis *ut ſic*. Nam prior definitum explicat, non per eſſentialia prædicata, ſed per accidentia; quemadmodùm ſi homo deſcribatur, *Animal, quod eſt ſapiens, aut ignorans*. Poſterior autem deſcribit genus per ſpecies, ſeu differentias di-

diviſivas, nimirùm per *affirmationem*, quæ ſignificat *aliquid eſſe*, & *negationem*, quæ ſignificat *aliquid non eſſe*: undè non magis eſt eſſentialis definitio Enuntiationis, quàm iſta animalis, *Vivens, quod eſt rationale, vel irrationale.*

3 Ut ergo definitionem eſſentialem aſsignent, variè diſcurrunt Dialectici Recentiores: apud quos Enuntiatio nùnc definitur, *Oratio perfecta enuntiativa unius de alio*; nùnc, *Oratio ſubjiciens & prædicans*; nùnc, *Actus mentis judicativus*; nunc, ut alias definitiones prætercam, *Oratio perfecta ſententiam ferens de objecto.* Hæc ultima definitio placet: quia *ferre ſententiam*, idoneè ſatis aperire videtur Enuntiationis diſcrimen à cæteris orationibus, ejuſque proprium characterem.

4 *Dices*: res inexplicata manet: nam rurſùs quæritur, quid ſit *ferre ſententiam de objecto*? *Reſp.*: hoc vitio, ſi quod eſt, quævis alia definitio laborat. Pariter enim quæri poteſt, quid ſit *judicare, enuntiare, dicere unum de alio*? *quid ſubjicere*? *quid prædicare*? *quid item orationem eſſe veram, aut falſam*? Ulteriorem ergo explicationem exigentibus reſponderi poterit per interpretationem vocabuli, ſeu definitionem *quid nominis*, quæ non reſpuit disjunctionem inter extrema diverſa, vel oppoſita.

5 Porrò ſententiam de objecto ferre tùm qu ue dicitur, cùm internis, vel externis ſig-

I nis

nùnc tantùm exiſtit, vel jam extitit, vel durabit.

RESTRICTIO.

57 RESTRICTIO in ſenſu dialectico eſt *coarctatio termini ad ſuppoſitionem minorem eâ, quam haberet abſolutè poſitus cum eodem ſubjecto, aut prædicato.* Fit autèm varijs modis. 1. per adjectivum, ut *Homo doctus diſputat.* 2. per appoſitionem minoris ſubſtantivi, ut *Rex Philippus imperat.* 3. per adverbium, ut *Fortitèr pugnans coronabitur.* 4. per relativum, ut *Homo, qui eſt in foro, ambulat.* 5. per obliquum, ut *Equus Petri eſt albus.* Deniquè per quodvis additum, ſive notam ſubjecto, aut prædicato appoſitam, qua termini amplitudo limitetur.

58 Suppoſitio ſubjecti communis poteſt etiam à prædicato reſtringi, juxta regulam dialecticam, *Talia ſunt ſubjecta, qualia permittuntur à ſuis prædicatis.* Undè prædicatum contingens, quod exigit exiſtentiam ſubjecti de præſenti, ſuppoſitionem ejus naturalem impedit, & disjunctivam, ſeu determinatam inducit; ut cùm dicitur, *Homo currit.* Sed nùnc ſolùm agitur de reſtrictione ex alijs capitibus proveniente. Notandum verò, quod additum reſtrictivum non limitat niſi terminum, quem immediatè afficit, ſive ſit ex parte ſubjecti, ſive prædicati.

Loci arguendi à Reſtrictione.

59 HIC aliquot regulæ tradi ſolent pro legitimâ conſequentiâ à termino reſtric-

tricto ad non reſtrictum, aut è converſo. *Prima regula* : A reſtricto ad non reſtrictum valet affirmativè conſequentia, ſive de ſubjecto, ſive de prædicato ſit ſermo. V. g. *Homo doctus diſputat, ergo homo diſputat. Petrus eſt homo doctus, ergò eſt homo.*

60 *Secunda* : A ſubjecto reſtricto ad non reſtrictum valet conſequentia negativè, ſecùs à prædicato. Hinc rectè argues : *Homo doctus non currit, ergo homo non currit* (ſaltèm ſi detur conſtantia ſubjecti): at non rectè ſic, *Petrus non eſt homo doctus, ergo non eſt homo.*

61 *Tertia* : A ſubjecto non reſtricto, nudè poſito, ad reſtrictum nulla eſt conſequentia (ſaltèm ratione formæ) tam negativè, quàm affirmativè. V. g., *Homo currit, ergo homo doctus currit: Homo non currit, ergo homo doctus non currit.* Si tamèn ſubjectum non reſtrictum diſtributivè ſupponat ex adjuncto ſigno, conſequentia ſtabit; tum negativè, ut *Nullus homo currit, ergo homo doctus non currit*; tum affirmativè, poſitâ conſtantiâ reſtricti, hoc eſt, dummodò conſtet exiſtere objectum ejus : ex hac enim, *Omnis homo currit*, dummodò addas, *& datur homo doctus*, rectè colliges, *ergo homo doctus currit.*

62 *Quarta* : A prędicato non reſtricto ad reſtrictum valet conſequentia negativè, ut, *Lapis non eſt homo, ergo non eſt homo doctus* : ſecùs affirmativè, ut, *Petrus eſt homo, ergo eſt homo doctus.*

Re-

Digitized by Google

63 Regulas alij tradunt bonæ, vel malæ conſequentiæ *ab amplo ad non amplum*, & vice verſâ. Sed, ſi terminus *amplus* idem ſit ac *non reſtrictus*, & *non amplus* idem, ac *reſtrictus*, regulæ modò poſitæ ſufficiunt; ſicut etiam ſi accipiantur *amplus* & non *amplus* pro communiore & minus communi, ex num. 53. Si verò ſumantur pro excedente & non excedente ſtatum, vix poteſt regula dari generalis, cùm non reddant omnes ſenſum uniformem.

DIMINUTIO.

64 DIMINUTIO eſt *coarctatio ſignificationis termini à toto ad partem*; vel etiam, *reductio ſignificationis abſolutæ ad ſignificationem ſecundum quid*. Sic, cùm dicitur, *Æthiops eſt albus ſecundùm dentes*, vox *albus* eſt terminus diminutus; quia non ſignificat *abſolutè*, & *ſimpliciter*, ſed tantùm *ſecundùm quid*, ſive *cum addito diminuente*.

65 A termino diminuto ad non diminutum, aut è converſo, nulla eſt conſequentia, niſi in his duntaxat denominationibus, quæ ſuapte naturâ immediatè conveniunt parti, & inde trahuntur ad totum; ex eo enim, quod Petrus ſit capillis criſpus, capite coronatus, mento barbatus, pede claudus, & ſic de alijs, rectè inferes, eſſe abſolutè *criſpum*, *coronatum*, *&c.*

ALIENATIO.

66 ALIENATIO eſt *tranſlatio termini à propriâ ad impropriam ſignificationem.*

Fit

Fit potiſsimùm per metaphoram, & ironiam. Fit etiam per quodvis additum, quo terminus à proprietate deficiat: V. g. *Homo pictus eſt pulcher, Ariſtoteles vivit in memoria hominum*: ubi *pictus*, & *in memoriâ*, dicuntur *addita alienantia* terminum *homo*, & verbum *vivit*.

67 Poteſt alienatio fieri etiam in verbo *eſt*, quando ſcilicet ratione ſubjecti, aut prædicati adjacentis, extrahitur à propriâ ſignificatione exiſtentiæ, vel entitatis actualis: ut cùm dicitur, *Lignum eſt combuſtum*, *Ignis eſt extinctus*, *Homo eſt mortuus*, *aut eſt futurus*.

68 Ad alienationem pertinet *Diſtractio*, quæ à nonnullis ponitur velut diſtincta proprietas termini: & tùnc accidit, cùm terminus ſignificat rem exiſtentem, non in tempore importato per copulam, ſed in alio; ut, *Natus moritur*, *Omnis homo vivens morietur*. In his enim & ſimilibus, alienatur verbum *eſt* imbibitum in verbis *moritur*, *morietur*, quæ perindè ſonant, ac *eſt moriens*, & *moriturus*.

69 Deniquè ad alienationem revocanda eſt *Remotio*, qua videlicèt terminus à ſuo ſignificato removetur vi alicujus additi repugnantis; ut *Equus rationalis currit*. Hæc dicitur *implicatio in terminis*, vel *implicatio in adjecto*, præſertim quando expreſſa in vocibus oppoſitio eſt.

APPEL-

APPELLATIO.

70 APPELLATIO in ſenſu dialectico definitur, *Applicatio ſignificati unius termini ad ſignificatum alterius.* Terminus, qui applicatur, dicitur *appellans*: Terminus, cui alter aptatur, dicitur *appellatus.* Sic, dum ais, *Ariſtoteles eſt magnus Philoſophus*, terminus *magnus* appellat terminum *Philoſophus*; quia magnitudo applicatur ad Philoſophiam Ariſtotelis, non ad ſtaturam. Prædicatum totale ſempèr appellat ſubjectum enuntiationis, de quo affirmatur. Termini verò partiales aliquandò appellant præcipuam partem prędicati, ut in proximo exemplo; aliquando pręcipuam partem ſubjecti, ut *Equus albus currit.*

71 Duplex eſt appellatio, *formalis*, & *materialis.* Formalis eſt *Applicatio ſignificati unius termini ad formale ſignificatum alterius.* Materialis eſt *Applicatio ſignificati unius termini ad materiale ſignificatum alterius.* Forma, vel quaſi forma, quam terminus exprimit quaſi denominantem, dicitur *ſignificatum formale*: hujus autèm formæ ſubjectum, dicitur *ſignificatum materiale.* Dum ergo dicis, *Album eſt coloratum*, appellatio eſt formalis, quia coloratum convenit albo ratione formę, nempè albedinis. Si verò dicas, *Album eſt dulce*, appellatio eſt materialis, quia dulcedo non convenit albo ratione formę, ſeu mediante albedine, ſed aliundè: ideòque albedo tùnc dici-

citur ſe habere *de materiali*, non *de formali.*

72 Sunt, qui nullam appellationem agnoſcunt, niſi formalem: & idcircò docent, omni appellatione carere terminos, qui non formalitèr appellant. Si cum his diſputes, eorum more loquere, ne immoreris in diſsidio vocali.

Regulæ pro Appellatione diſcernendâ.

73 POTISSIMA regula eſt naturalis & obvius propoſitionis ſenſus, qui pendet ex uſu, ex circunſtantijs, & ex indole rerum ſignificatarum. Hinc, quando dicimus, *Bonus latro paradiſum in cruce meruit*, non eſt dubium, quin terminus *bonus* non appellet formalitèr terminum *latro*: quod etiam accidit in his, *Mutus loquitur*, *Cœcus videt*; ubi clarum eſt, locutionem & viſum non applicari ad mutum & cęcum pro formali. Generatim, quotiès duo termini concurrunt ſignificantes formas oppoſitas, ut *bonus latro*, vel ſaltèm penitùs inconnexas, aut diſparatas, ut *miles muſicus*, appellatio eſt materialis, ſive ex parte ejuſdem, ſive ex parte diverſi extremi collocentur in propoſitione.

74 Appellatio verò formalis in terminis ex ſe capacibus cognoſci poterit regulis hiſce. *Prima*: quando ex parte ſubjecti fit reduplicatio particulis, *ut*, *prout*, *quatenùs*, *in quantum*, *ſecundùm quod*, *&c.*, prędicatum formalitèr appellat terminum reduplicatum: v. g. *Petrus, in quantum muſicus, eſt bonus.*

Se-

Digitized by Google

75 *Secunda*: quando duo termini ponuntur ex parte ejuſdem extremi, id eſt, vel ambo ex parte ſubjecti, vel ambo ex parte prędicati, alter alterum appellat formalitèr, ſaltèm ut plurimùm: v. g. *Petrus eſt bonus muſicus*, *Miles veteranus pugnat*.

76 *Tertia*: Terminus ex parte ſubjecti poſitus, cujus formale ſignificatum eſt ratio, fundamentum, aut radix prędicati, formalitèr appellatur à prædicato: ut, *Juſtus eſt hæres Cœli*, *Homicida eſt morte dignus*, *Hic artifex eſt peritus*, *Hic orator eſt eloquens*. Si verò ſignificatum formale ſubjecti nihil conferat ad prædicatum, appellatio erit materialis: ut, *Hic orator eſt claudus*. Si prædicatum ſit indifferens, ut conveniat ſubjecto ratione formæ, vel aliundè, dubia eſt appellatio, debetque præviâ diſtinctione determinari: ut, *Hic artifex eſt nobilis*; ubi incertum eſt, an tò *nobilis* applicetur ſubjecto ratione artis, vel ratione generis.

77 *Quarta*: Caſus obliqui poſſunt etiam vel formalitèr, vel materialitèr appellari, tum ab alio nomine, tum à verbo; juxta ſenſum magis obvium, & uſitatum. Nec audiendi ſunt, qui dicunt, variari ſenſum ex collocatione obliquorum ante, vel poſt verbum, aut rectum, quaſi aliud ſignificet, *Pallium Petri*, quàm *Petri pallium*, aut *Papam vidi*, quàm *Vidi Papam*, aut *Carnes crudas comedi*, quàm *Comedi carnes crudas*. Nihil omninò refert

fert hujuſmodi collocationis varietas ad variandum ſenſum; ut facilè oſtendi poſſet innumeris exemplis latinè ſcribentium. Quotiès ſenſus fuerit anceps, utere diſtinctione.

78 Notandum hic ex D. Thoma, quòd nomina numeralia primitivæ ſpeciei, ut *duo, tres, &c.* adjectivis addita, numerant ſeu multiplicant ſola ſubjecta, & quaſi materialitèr appellant: undè, ſi eadem eſſet albedo in tribus hominibus, exiſterent *tres albi*: &, ſi unico amore duos diligas, erunt *duo dilecti*. Addita verò ſubſtantivis, appellant quaſi formalitèr, quia principalitèr multiplicant ſeu numerant formas: undè in Divina Trinitate non ſunt *tres Dii*, quia Deitas eſt unica, licèt ſint tria ſuppoſita, ſeu tres Perſonæ. Si numerale ſit denominativum, poterit convenire concreto ratione utriuslibet, formæ, vel ſuppoſiti: ideòque Deus rectè dicitur *trinus*, & *unus*.

79 Denique pro argumentatione regula generalis eſt, quòd ex varietate appellationis conſequentia vitiatur. Undè malè ſic argues: *Petrus eſt bonus, & eſt Logicus, ergo eſt bonus Logicus*: aut è converſo, *Petrus eſt bonus Logicus, ergo eſt bonus*. Nam tò *bonus* non eumdem terminum appellat in antecedenti, & conſequenti.

DIS-

DISPUTATIO V.

DE ENUNTIATIONE.

ACCEDIMUS ad contemplandum in ſe ſe totum artefactum, cujus hucuſque partes explicuimus. Ad logicum, inquam, artefactum, quod *Propoſitio*, & *Enuntiatio* dicitur; eſtque plena ſententia, ſive internè concepta, ſive externè prolata: cujus quidditatem, ſpecies, accidentia, & proprietates, nunc brevitèr expediemus.

CAP. I.

QUID SIT ENUNTIATIO, ET QUOTUPLEX.

1 EX doctrinâ Philoſophi 1. *Perih. c.* 4. duplex Enuntiationis definitio eruitur: quarum altera eſt, *Oratio perfecta, quæ vera eſt, aut falſa*: altera, *Oratio perfecta, ſignificans aliquid eſſe, aut non eſſe*; vel, ut docet idem Philoſophus 1. Prior. c. 1., *Affirmatio, aut negatio alicujus de quopiam*. Utraque explicatio ſatis Enuntiationem diſcernit ab omni non ipsâ, proindeque bona eſt in genere deſcriptionis, quo delectantur veteres.

2 Neutra tamèn eſſentialis definitio eſt Enuntiationis *ut ſic*. Nam prior definitum explicat, non per eſſentialia prædicata, ſed per accidentia; quemadmodùm ſi homo deſcribatur, *Animal, quod eſt ſapiens, aut ignorans*. Poſterior autem deſcribit genus per ſpecies, ſeu differentias di-

diviſivas, nimirùm per *affirmationem*, quæ ſignificat *aliquid eſſe*, & *negationem*, quæ ſignificat *aliquid non eſſe*: undè non magis eſt eſſentialis definitio Enuntiationis, quàm iſta animalis, *Vivens, quod eſt rationale, vel irrationale.*

3 Ut ergo definitionem eſſentialem aſsignent, variè diſcurrunt Dialectici Recentiores: apud quos Enuntiatio nùnc definitur, *Oratio perfecta enuntiativa unius de alio*; nùnc, *Oratio ſubjiciens & prædicans*; nùnc, *Actus mentis judicativus*; nunc, ut alias definitiones prætercam, *Oratio perfecta ſententiam ferens de objecto*. Hæc ultima definitio placet: quia *ferre ſententiam*, idoneè ſatis aperire videtur Enuntiationis diſcrimen à cæteris orationibus, ejuſque proprium characterem.

4 *Dices*: res inexplicata manet: nam rurſùs quæritur, quid ſit *ferre ſententiam de objecto*? *Reſp.*: hoc vitio, ſi quod eſt, quævis alia definitio laborat. Pariter enim quæri poteſt, quid ſit *judicare, enuntiare, dicere unum de alio*? *quid ſubjicere*? *quid prædicare*? *quid item orationem eſſe veram, aut falſam*? Ulteriorem ergo explicationem exigentibus reſponderi poterit per interpretationem vocabuli, ſeu definitionem *quid nominis*, quæ non reſpuit disjunctionem inter extrema diverſa, vel oppoſita.

5 Porrò ſententiam de objecto ferre tùm qu ue dicitur, cùm internis, vel externis ſig-

nis determinat, quid ſentiat, teneat, aut cenſeat circa identitatem, aut convenientiam extremorum, quæ ſibi proponit. V. g. per ſimplicem apprehenſionem, quæ prima eſt operatio mentis, proponuntur intellectui hæc extrema *Petrus*, *Sapiens*, ut videat, an alterum conveniat alteri, nec nè. Tum intellectus, aliquo indicio ductus, elicit judicium, quæ eſt ſecunda mentis operatio, vi cujus determinat, quid in re propoſitâ ſentiat. Quòd ſi ſic decernat, *Petrus non eſt ſapiens*, fert ſententiam negantem; ſi verò ſic, *Petrus eſt ſapiens*, ſententiam affirmantem.

6 Sed quia utrumque eſt *ferre ſententiam*, ideò hunc conceptum dicimus eſſentialem Enuntiationis *ut ſic*, prout ab affirmante, & negante præciſæ. Hujuſmodi ſententia, dum mente fertur, dicitur judicium, & Propoſitio mentalis: dum autem voce, vel ſcripto, Propoſitio vocalis, aut ſcripta. Quia tamen ſic intereſt claritatis, Ariſtotelicis deſcriptionibus deincèps utendum nobis eſt.

7 In omni Enuntiatione dicitur, aut negatur de aliquo objecto objectum aliquod. Unde nulla eſt, in qua non reperiantur Subjectum, & Prædicatum, objectiva, & formalia. Objectum, quod affirmatur, aut negatur, eſt Prædicatum objectivum: objectum, de quo affirmatur aliquid, aut negatur, eſt Subjectum objectivum. Illa verò ſigna, quæ objectis hiſce reſpondent, & quibus ti-

mur ad affirmandum, aut negandum, dicuntur Subjectum, & Prædicatum formalia: v. g. cùm dicimus, *Homo eſt animal*, vox *homo* eſt formale Subjectum, & vox *animal* Prædicatum formale.

8 Reperitur item in omni Enuntiatione copula verbalis, id eſt, vis connectendi ſubjectum, & prædicatum, quæ imbibitur in verbo logico. Nam verbum, quatenùs conſignificat copulam objectivam, vel aſſertivè, vel remotivè per negationem adjunctam, connectit ſubjectum, & prædicatum formalia, ſine quibus conſignificatio illa nequit ſtare, nec intelligi, ut dictum eſt Diſp. 1. n. 58. & ſeqq.

9 Ex his conſtitutivis reſultat Enuntiatio, velut totum quoddam, in quo *materiam*, *formam*, *quantitatem*, & *qualitatem* invenies more compoſiti naturalis. Ut enim in homine v. g. conſiderant Phyſici materiam, quod eſt corpus, formam, quæ eſt anima, quantitatem, quæ eſt corporeæ molis extenſio, vel extenſionis immediata radix, ac demùm qualitatem, quæ eſt accidens, hominem ſic, vel alitèr afficiens, v. g. ſanitas, aut ægritudo: ita proportione quâdam ſimilia nomina contemplantur, ac deſignant Logici in artefacto Enuntiativo, quod ex ijs capitibus in varias dividunt ſpecies, à nobis mox enumerandas.

Digitized by Google

Enuntiationis Materia, & Forma.

10 MATERIA Enuntiationis, alia dicitur *ex qua*, conſiſtitque in ijs terminis, qui gerunt munera ſubjecti, & prędicati formalis: alia dicitur *circa quam*, conſiſtitque in ijs rebus, aut objectis, quę per formales terminos manifeſtantur. Forma verò Enuntiationis ſimplicis (de formâ complexę dicetur cap. 5.) eſt verbalis copula, quę prędicatum cum ſubjecto unit, ſeu componit, ideòque dicitur *compoſitio*.

11 Prędicatum, quia ſubjecto ſupervenit, vocatur interdùm Enuntiationis forma. Sed propriè loquendo compoſitio eſt, quę generatim in artefactis, & nominatim in enuntiativo, tenet locum formę; ut cum D. Thoma diximus Diſput. 3. à num. 13.. Sanè copula eſt, quę artefactum logicum conſtituit in ſpecie Enuntiationis potiùs, quàm termini complexi, aut orationis imperfectę, ſimulque tribuit ipſi prę̨cipuas denominationes *enuntiantis*, *affirmantis*, *negantis*.

DIVIDITUR ENUNTIATIO RATIONE *materiæ, ex qua.*

12 ENUNTIATIO, ſpectatâ materiâ *ex qua*, dividitur 1. in eam, quę eſt *de ſecundo*, & eam, quę eſt *de tertio adjacente*: quę diviſio explicata manet Diſp. 1. n. 55.. Sed obſerva, quòd omnis Enuntiatio eſt virtualitèr de tertio adjacente: quia verbum adjectivum (ex quo reſultat Enuntiatio de tertio adjacente) virtualitèr

tèr continet verbum ſubſtantivum cum partici-pio: ut ibidem notavimus n. 65.

13 Dividitur 2. in *formalem*, & *identicam*. Formalis eſt, cujus formales termini diſtinctionem ſignificant, aut exercitè faciunt, ſaltèm penes implicitum, & explicitum, inter ſubjectum, & prę-dicatum objectiva, ut *Homo eſt animal rationale*. Identica eſt, quę prędicat objectum de ſe ipſo per terminos ſynonymos, vel per eumdem bis poſi-tum, ut *Homo eſt homo*, *Enſis eſt gladius*.

14 Dividitur 3. in *directam*, & *indirectam*. Directa eſt, in qua prędicatum vel eſt ſubjecto ęquale, vel ſuperius, id eſt, communius, aut uni-verſalius. Indirecta eſt, in qua inferius de ſuperio-ri prædicatur, ut *Animal eſt homo*. Dividi poteſt 4. in varias ſpecies juxta diviſiones terminorum, quas dedimus Diſp. 3. c. 3.. Hinc enim v. g. alia dicitur Enuntiatio *finita*, alia *infinita*, alia *pri-vativa*, ſcilicet ratione termini, qui gerit munus prædicati: ut, *Homo eſt ſapiens*, *Eſt non ſapiens*, *Eſt inſipiens*.

15 Inter has notare oportet quatenùs con-ſequentia valeat. Imprimis, *à privativa affirman-te ad affirmantem infinitam valet conſequentia, ſed non è converſo*. Undè benè argues: *Eſt inſi-piens, ergo eſt non ſapiens*: at non benè, ſi ab in-finitâ inferas privativam; nam lapis, quàmvis *non-ſapiens*, non ideò eſt *inſipiens*, ſiquidem hic terminus carentiam ſapientiæ requirit in ſubjec-

to capaci. Quòd ſi utraque ſit negativa, *valet illatio ab infinita ad privativam, ſed non vice verſa*; ut experienti conſtabit.

16 Deindè, *inter finitam negativam, & affirmativam infinitam valet conſequentia mutua* (ſervatis conditionibus mox annotandis): ut inter has, *Lapis eſt non-homo, Lapis non eſt homo.* Ratio: quia ſicui attribuitur non-eſſe hominis, eidem negari debet eſſe hominis, & è converſo; alioqui poſſet aliquid ſimul eſſe, & non eſſe homo.

17 *Objic.*: de corvo non exiſtente verè dicitur, *non eſt albus*: & tamèn falsò dicitur, *eſt non albus*; quia tò *non-albus*, utpotè prædicatum contingens, affirmari nequit de ſubjecto non exiſtente. *Reſp.*: prædicatum contingens, quando eſt poſitivum, aut privativum, requirit exiſtentiam ſubjecti; non verò, quando eſt infinitum; hoc enim eſt indifferens ad entia, & non entia, juxta Ariſtot., & D. Thomam. Undè verè dicitur, *Hircocervus eſt non albus.*

18 Sed *nota* 1., nos loqui de Enuntiatione, quæ ſolùm infinita ſit ex prædicato: nam, ſi ſubjectum infinitetur, ut *Non-homo currit*, non infertur negativa finita, *Homo non currit*; quia ſubjectum utrobiquè diverſum eſt, in ſecundâ homo, in primâ aliquid, quod non eſt homo. Hinc, ſi dicas, *In fluvio ſunt non-piſces*, non ſequitur, *ergo in fluvio non ſunt piſces*: nam prima verificari poteſt de lapidibus, qui piſces non excludunt: ſed

ſed ideò non ſequitur, quia tò *non-piſces*, non eſt prædicatum, ſed ſubjectum: niſi malis, aliud ſubjectum ſubintelligi, ſic nimirùm, *Aliqua in fluvio ſunt non piſces*; quo ſenſu optimè infertur negativa finita.

✝ 19 *Nota* 2., totum prædicatum, quod negatur in unâ, debere in alterâ infinitari, & vice verſâ. Unde ex hac, *Petrus poteſt non ſalvari*, malè inferes, *ergo Petrus non poteſt ſalvari*: quia prima non infinitat totum prædicatum, quod ſecunda negat. Si tamen totum infinitaret ſic, *Petrus eſt non potens ſalvari*, legitima foret illatio. Idem dicito de hac, *Petrus non eſt neceſſariò exiſtens*; quæ ob eamdem rationem non infert iſtam, *Petrus eſt neceſſariò non exiſtens*, ſed iſtam potiùs, *Petrus eſt non neceſſario exiſtens*.

✝ 20 *Nota* 3., oportere, ut propoſitiones abſolutè loquantur, non in ſenſu reduplicativo, aut præciſivo. Quarè perperàm ſic argues: *Homo ut homo non eſt albus*, *ergo homo ut homo eſt non albus*; niſi tò *non albus* habeat etiam ſenſum præciſivum. Ratio: quia homo, ut homo, vel ſecundùm hominis eſſentiam, nec dicit albedinem, nec carentiam albedinis, ſed ad utramque indifferens eſt, & ab utrâque prȩſcinditur.

DIVIDITUR ITEM ratione materiæ circa quam.

20 SPECTATA materiâ *circa quam*, dividitur Enuntiatio in *neceſſariam*, *contin-*

 gen-

gentem, & *impoſsibilem*: quæ partitio deſumitur ex diverſá habitudine objectivâ ſubjecti ad prædicatum. Nam propoſitio dicitur *neceſſaria*, quando prædicatum neceſſariò convenit ſubjecto, vel tamquam proprietas connaturalis, ut *Ignis eſt calidus*, vel tamquam eſſentia, ut *Homo eſt animal rationale*. Dicitur *contingens*, quando prædicatum contingentèr advenit ſubjecto, ut *Aqua eſt calida*. Dicitur *impoſsibilis*, quando aſſerit identitatem extremorum impoſsibilem, quæ materia vocari ſolet *remota*, & *repugnans*, ut *Lapis eſt homo*.

21 Hæc diviſio eſt adæquata: quia materia Enuntiationis ſemper eſt vel neceſſaria, vel remota, vel contingens. Et regula generalis eſto: Quòd propoſitio de materiâ neceſſariâ, ſemper vera eſt, & neceſſaria, ſi affirmativa ſit; ſi verò negativa, ſemper eſt falſa, & impoſsibilis. Contrà evenit in propoſitione de materiâ remotâ, ſive impoſsibili. Quæ autèm in materiâ contingenti verſatur, vera, vel falſa eſſe poteſt, ſive aſſerat, ſive neget.

22 *Quæres*, an propoſitio ſit neceſſaria, quando ſubjectum eſt unum *per accidens*, ſive conflatum ex duobus contingenter unitis, in quo tamen complexo prædicatum neceſſariò includitur? Exemplo ſunt propoſitiones iſtæ: *Homo albus eſt albus*, *Homo currens movetur*, *Homo peccans malè agit*. Reſolutio pendet à ſenſu, quem eſ-

Digitized by Google

efficit ſubjectum, v. g. *Homo albus*: nam, ſi ità ſignificet, *Homo, qui nunc eſt albus*, propoſitio erit contingens, cum ad ejus veritatem requiratur *conſtantia* ſubjecti, quam eſſe contingentem, certum eſt.

23 Si verò tale ſubjectum ab exiſtentiâ præſcindat, & quaſi conditionatè ſignificet, ſic nimirùm, *Homo, qui fuerit, vel quandocumque fuerit albus*, tùnc propoſitio eſt neceſſaria, & æternæ veritatis, ſive prædicatum ſit ex ſe contingens, ſive ſecùs. Licèt enim non ſit abſolutè neceſſarium, hominem eſſe album; tamen ex ſuppoſitione, vel ſub conditione, quòd albus ſit, album eſſe neceſſe eſt, juxta vulgare, & evidens proloquium, *Omne quod eſt, ex ſuppoſitione quòd ſit, neceſſe eſt eſſe.*

24 In hoc poſteriori ſenſu regulariter accipitur ejuſmodi ſubjectum, modò ſit terminus communis (niſi fortè cum verbo *exiſtit*, aut æquipollenti jungatur): dum enim prædicatum eſt de conceptu eſſentiali ſubjecti, propoſitio eſt æternæ veritatis, ſubjectumque abſolvitur à tempore, ſive ſit ens per ſe, ſive complexum per accidens; ut patet in hac, *Quatuor & tria ſunt ſeptem*; nec non in iſtâ, *Omnis peccans malè agit*, quæ vera eſſet, etſi nullus actu peccaret; eo quòd *malè agere* ſit de conceptu eſſentiali ſubjecti penes illam partem, *peccans*.

25 *Oppones* hunc in *Darapti* ſyllogiſmum, *Om-*

Omnis homo albus eſt homo, ſed omnis homo albus eſt albus, ergo aliquis homo eſt albus: ubi concluſio eſt contingens, qualis eſſe non poſſet, ſi præmiſſæ forent neceſſariæ. *Reſp.*: ſyllogiſmus non eſt in *Darapti*, nec rectus; quia non ſervatur idem ſenſus propoſitionum ad finem uſque; ſiquidèm in præmiſsis eſt conditionatus, in concluſione abſolutus. Concluſio ergo ſic deducenda, *Ergo aliquis homo, ſi albus ſit, eſt albus.*

DIVIDITUR ENUNTIATIO RATIONE formæ.

26 RATIONE formę dividitur Enuntiatio 1. in *ſimplicem*, & *complexam*, *categoricam*, & *hypotheticam*, de quibus inferiùs. Dividitur 2. in *affirmativam*, & *negativam*: quæ membra per ſe nota ſunt, & vulgo perſpecta. Affirmativa vocari ſolet *componens*, & *compoſitio*; quia *ſignatè* componit, id eſt, conjungit, ſeu attribuit unum objectum alteri, ut *Homo eſt animal.* Negativa ex adverſo vocatur *dividens*, & *diviſio*, quia *ſignatè* dividit, id eſt, ſeparat, ſeu removet unum ab alio, ut *Homo non eſt leo.*

27 Ut tamèn propoſitio ſit negativa, debet negatio afficere copulam principalem (id eſt, eam, quæ principalitèr intenditur ab enuntiante); nec ſufficit, quod afficiat minùs principalem, quæ nonnumquam intermiſcetur ex parte ſubjecti, aut prædicati ſub relativo, aut aliâ formulâ, vocaturque *copula implicationis.* Undè ſunt pro-

propoſitiones affirmantes, *Homo, qui non peccat, eſt ſapiens, Leo eſt animal, quod non timet.*

28 Dum tamen dicitur negatio afficere copulam, non eſt ſenſus, quòd negatio removeat, neget, aut deſtruat copulam formalem (alioqui deſtrueret artefactum enuntiativum); ſed ſolùm, quòd variet copulam iſtam quoad modum ſignificandi copulam objectivam. Nam verbum *Eſt*, quatenùs eſt copula formalis, objectivam ſignificat modó aſſenſivo in affirmantibus: at in negantibus eamdem ſignificat modo remotivo, ſeu diſſenſivo, vi ſcilicet particulæ *non*, per quam verbum variatur in modo ſignificandi, & ſimul çum eâ conſtituit diverſam copulam formalem; quæ copula, licèt ſignatè ſit diviſio, exercitè eſt compoſitio terminorum formalium.

ENUNTIATIONIS QUANTITAS, ET Qualitas.

29 QUANTITAS propoſitionis dicitur extenſio ſubjecti formalis ad plura, vel pauciora objecta ſignificanda. Et quia quadruplex eſſe poteſt, quadruplex etiam ratione illius diſtinguitur Enuntiationis ſpecies. Prima dicitur *Univerſalis*; cujus ſubjecto apponitur ſignum univerſale diſtributivum, ut *omnis*, *nullus*. Secunda *Particularis*; cujus ſubjectum afficitur ſigno particulari, ut *aliquis*, *quidam non*. Tertia *Singularis*; cujus ſubjectum, vel eſt nomen proprium, ut *Petrus*, vel afficitur ſigno demonſtra-

Digitized by Google

trativo, ut *hic homo*. Hæc, juxta plures, non eſt propriè quantitas; quia ſubjectum extenſione caret, & ad punctum logicè indiviſibile redigitur.

30 Quarta *Indefinita*; cujus ſubjectum eſt terminus communis, nullo ſigno affectus: hęc, dum eſt in materiâ contingenti, æquivalet particulari, ut *Homo currit*, quæ huic æquivalet, *Aliquis homo currit*; ſi verò ſit in materiâ neceſſariâ, vel dogmaticâ, æquivalet univerſali, ut *Homo eſt animal*, *Juſtus in Gratia moriens ſalvatur*, quarum ſubjecta valent *Omnis homo*, *Omnis Juſtus*. Excipe propoſitionem *indirectam*; quę, licèt ſit de materiâ neceſſariâ, v.g. *Animal eſt homo*, æquivalet particulari, nempe, *Aliquod animal eſt homo*.

31 Quando ſubjectum conſtat recto, & obliquo, quantitas propoſitionis non pendet à ſigno afficiente ſolum obliquum (quod vocant *ſubjectum diſtributionis*): quare hæc non eſt univerſalis, *Rex omnium Hiſpanorum eſt inclytus*. Nec item pendet quantitas à prædicato: quare hæc non eſt ſingularis, *Omnis Perſona Divina eſt hic Deus*.

32 *Qualitas* Enuntiationis (nomine *qualitatis* nunc intelligimus quædam accidentia, quę ab eſſentiâ reſultant, vel ipſi jam conſtitutæ ſuperveniunt) alij volunt ut ſit veritas, vel falſitas: alij, ut ſit affirmatio, vel negatio. *Veritas* eſt conformitas actûs cum objecto, quod ita ſe habet,

bet, ſicut enuntiatur. *Falſitas* eſt diſformitas actûs cum objecto, quod alitèr enuntiatur, ac in ſe eſt. Utraque non immeritò dicitur Enuntiationis qualitas: quia videtur ſupervenire, vel accidere propoſitioni jam eſſentialiter conſtitutæ, tam in genere, quàm in ſpecie affirmativâ, vel negativâ, ut ipſam benè, vel malè afficiat: veritas enim eſt veluti ſanitas Enuntiationis, & falſitas velut ægritudo. Hìnc ratione qualitatis dividitur Enuntiatio in *veram*, & *falſam*.

33 *Affirmatio*, & *negatio* re verâ ſunt differentiæ formales, & ſpecificæ Enuntiationis, ſicuti rationale, & irrationale reſpectu Animalis. Sed quia differentiæ dicuntur logicè accidere generi; idcircò reſpectu Enuntiationis *ut ſic*, ſive in genere, negatio, & affirmatio vocari poterunt accidentia logica, ſeu logicæ qualitates.

CAP. II.

QUID, ET QUOTUPLEX SIT ENUNTIATIOnum oppoſitio?

34 OPPOSITIO, qua de loquimur, definiri poteſt, *Duarum propoſitionum affirmantis, & negantis idem de eodem, repugnantia logica formalis in qualitate.* Dicitur *repugnantia logica*: quia modò non loquimur de phyſicâ pugnâ, ſive incohærentiâ duarum propoſitionum in eodem intellectu, quæ ad Phyſicos, aut Animaſticos pertinet; ſed de pugnâ ſignificationis veræ, ac falſæ circa idem objectum, quæ pugna in

in ſignificando, logicæ conſiderationis eſt. Dicitur *formalis*: quia debet eſſe repugnantia ratione formæ, ita ut in quacumque materiâ propoſitiones formentur ſimiles, altera alteri repugnet.

35 Requiritur deindè, ut propoſitiones ſint de eodem ſubjecto, & prædicato. Undè propoſitiones iſtę, *Petrus eſt idem ſecum*, *Paulus non eſt idem ſecum*, non ſunt logicè oppoſitæ, licèt nec ſimul falſæ, nec veræ ſimul eſſe queant. Sed intellige, debere ſubjectum eſſe *idem*, non computatis ſyncategorematis, aut ſignis, quantitatem propoſitionis denotantibus; ſi enim iſta computentur, ſubjectum, ſaltèm formale, diverſitatem aliquam admittit.

36 Deniquè additur *in qualitate*: id eſt, in veritate, & falſitate, quæ magis aptè dicuntur Enuntiationis qualitates. Quodſi hoc nomine intelligas etiam affirmationem, & negationem, non ideò definitio claudicat: nam oppoſitio, dum eſt immediata, ſervatque formam, & modum, inter negantem, & affirmantem exercetur.

DIVIDITUR OPPOSITIO.

37 OPPOSITIO propoſitionum communitèr circumfertur quadruplex, videlicèt *Contradictoria*, *Contraria*, *Subcontraria*, & *Subalterna*. Oppoſitio contradictoria, eſt *Repugnantia formalis duarum propoſitionum in veritate & falſitate* (in hac, & ſequentibus definitionibus intellige cætera, quæ continet definitio

com-

communis, data num. 34.) Contradictio itaque verſari debet inter affirmantem, & negantem idem de eodem, quarum unius veritas excludat veritatem alterius, & falſitas falſitatem.

38 Hoc genus oppoſitionis eſt quaſi proprietas omni Enuntiationi conveniens: nulla enim poſsibilis eſt, cui non poſsit alia contradicere. Regularitèr fit inter propoſitiones univerſalem, & particularem, ut *Omnis homo eſt juſtus*, *Aliquis homo non eſt juſtus*; vel inter duas ſingulares, ut *Petrus diſputat*, *Petrus non diſputat*.

39 Cæterùm in omni contradictione logicâ debet altera propoſitio id affirmare, vel negare, quod præcisè requiritur, & ſufficit ad falſitatem alterius. Hinc, *Omnis homo currit*, *Petrus non currit*, non ſunt contradictorię, cùm ambę ſimul falſificari poſsint, currente Petro, & cęteris ſedentibus. Ratio autem eſt, quia ſecunda plus negat, quàm opus ſit ad falſitatem primę: determinat enim Petrum, cum ſufficiat aliquis homo vagè.

40 Oppoſitio contraria eſt *Repugnantia formalis duarum propoſitionum in ſola veritate.* Reperitur inter affirmantem, & negantem univerſales, quarum unius veritas excludit neceſſariò alterius veritatem; utriuſque tamen falſitas exiſtere ſimul poteſt ratione formę: v. g. *Omnis homo currit*, *Nullus homo currit*; quę nequeunt verificari ſimul; benè tamen ſimul falſificari, ut

ac-

accideret, ſedente Petro, & currente Paulo. Quòd autem in materiâ naturali, ſeu neceſſariâ, nequeant falſificari ſimul, ut cernitur in his, *Omnis homo eſt animal*, *Nullus homo eſt animal*, provenit à materiâ *circa quam*, non à formâ; proindeque nulla in his eſt *repugnantia formalis* in falſitate. Contrariæ tales eſſe debent, ut altera plus neget, quàm quod ſat eſt ad falſitatem alterius; ut in exemplis adductis videre licet.


41 Oppoſitio ſubcontraria eſt. *Repugnantia formalis duarum propoſitionum in ſola falſitate.* Invenitur inter duas particulares, negantem, & affirmantem, ut *Aliquis homo currit*, *Aliquis homo non currit*; quæ numquam ſimul falſæ, ſed aliquando veræ ſimul eſſe poſſunt, ſi nimirùm currat Petrus, & ſedeat Paulus. In materiâ neceſſariâ verificari ſimul nequeunt: ſed hoc à materiâ provenit, ut nupèr in ſimili dictum eſt. Harum intrinſeca conditio eſt, ut altera minus affirmet, negetvè, quàm ad alterius falſitatem requiritur: ut enim falſum ſit, quòd aliquis homo currit, non ſufficit, quòd non currat aliquis, ſed requiritur, quòd nullus omninò currat.

42 Subalterna demùm oppoſitio eſt *Repugnantia in ſola quantitate duplicis propoſitionis, utriuſque affirmantis, vel utriuſque negantis idem de eodem.* Sic opponi dicuntur propoſitiones univerſalis, & particularis, quarum prima dicitur *Subalternans*, ſecunda *Subalternata*: dum utra-

gue

que affirmat, ut *Omnis homo currit*, *Aliquis homo currit*, aut utraque negat, ut *Nullus homo currit*, *Aliquis homo non currit*. Hæc eſt oppoſitio quędam relativa, ut quæ datur in phyſicis inter magnum, & parvum, aut inter totum, & partem: ſed, cùm non importet diſcrepantiam affirmationis, & negationis, veritatis, & falſitatis, non eſt oppoſitio propriè logica, de qua in pręſentiâ diſſeritur, ideoque non comprehenditur definitione data n. 34.

43 Subalternæ per ſe nec veritatem, nec falſitatem ſimultaneam reſpuunt, ut inſpicienti patebit. Quodſi non tenet in materiâ neceſſariâ, & repugnanti, cauſa eſt, non formæ, ſed materiæ conditio. Ut prædictas omnes oppoſitionis ſpecies præ oculis habeas, en tibi ſubjectus de more typus.



Petrus eſt juſtus.	Contradictoriæ ſingulares.	Petrus non eſt juſtus.

44 Propoſitiones , prout ſunt in tabulâ, vocantur Oppoſitę *de formâ* , *&* *modo* : quia ſervant formam expreſsè oppoſitam penès affirmationem, & negationem ; & inſuper modum ſignificandi regularem penès quantitatem. Aliæ verò, quæ ſub di-

Digitized by Google

diverſâ formâ, & modo circa idem objectum verſantes, eamdem legem fundamentalem ſuper veritate, & falſitate retinent, vocantur Oppoſitæ *de lege*. V. g. *Petrus eſt homo, Petrus eſt non-homo*, ſunt contradictoriæ *de lege*, quàmvis utraque ſit affirmativa: ut etiam, *Nullus homo eſt juſtus, Petrus eſt juſtus*, ſunt contrariæ *de lege*, quàmvis non ſit utraque univerſalis.

LEGES OPPOSITIONIS.

45 EX definitionibus ſuprà datis habetur, legem fundamentalem, & inconcuſſam eſſe, ut in nullâ materiâ propoſitiones contradictoriæ poſsint umquam evadere ſimul veræ, nec ſimul falſę; uti nec contrariæ ſimul umquam veræ, nec ſubcontrariæ ſimul umquam falſæ. Nititur ea lex principijs hiſce per ſe notis, ac metaphyſicè infallibilibus, *Quodlibet eſt, vel non eſt, impoſsibile eſt idem ſimul eſſe, & non eſſe*: ex quibus ipſam demonſtravimus in Summul. fuſior.

46 Prætereà ſunt & aliæ regulæ in Oppoſitione ſervandæ. *Prima*: ut nulla varietur proprietas terminorum, ſcilicet ſuppoſitio, ampliatio, appellatio, &c. Quarè deeſt oppoſitio in iſtis, *Rex eſt ſyllaba*, *Rex non eſt ſyllaba*, ſi varietur ſuppoſitio ſubjecti de materiali in formalem: in iſtis item, *Cæcus videt*, *Cæcus non videt*, *Miles eſt bonus*, *Miles non eſt bonus*, ſi non eadem ampliatio, & appellatio ſervetur. Suppoſitionis tamen varietas tum ſolùm obeſt, cùm efficit, nè utraque

propoſitio loquatur de eodem objecto, iiſdem circunſtantijs objectivis affecto. Nec officit, imò requiritur in contradictione circa ſubjectum commune variatio quantitatis de univerſali in particularem; ut conſtat ex tabulâ.

47 *Secunda regula*: ut pro contradictoriâ oppoſitione retineat utraque propoſitio eadem ſyncategoremata (exceptis quantitativis ex parte ſubjecti, ut nùnc monuimus), eadem ſcilicet adverbia, caſus obliquos, &c.: itemque, ut quæ in alterâ affirmantur ſyncategoremata, ad verbum, aut prædicatum pertinentia, negentur in alterâ. Unde huic propoſitioni, *Petrus eſſentialiter eſt doctus*, non contradicit hęc, *Petrus eſſentialiter non eſt doctus*, ſed iſta potiùs, *Petrus non eſſentialiter eſt doctus.*

48 *Tertia*: ut oppoſitio evadat contradictoria, omnes univerſalitates unius propoſitionis, diſtributivè poſitę, in alterâ particularitates eſſe debent: v. g. contradictoria iſtius, *Cujuſvis hominis omnis anima ſemper & ubique exiſtit*, debet ita formari, *Cujuſdam hominis quædam anima non exiſtit aliquando, vel alicubi*: ubi cernis univerſalitates terminorum *cujuſvis*, *omnis*, *ſemper*, *ubique*, nec non conjunctionis *&*, mutatas in particularitates *cujuſdam*, *quædam*, *aliquando*, *alicubi*, ac *vel*: conjunctiones enim *&*, ac *vel*, ſic inter ſe comparantur, ut prima ſit quaſi univerſalis, ſecunda, quaſi particularis.

De

49 De opoſitione complexarum, & exponibilium dicemus inferiùs. Hîc diſputari ſolet, an oppoſitio contradictoria ſit omnium maxima? Item, an ſubcontraria propriè ſit oppoſitio? Sed de his conſule Summul. fuſior.

CAP. III.

VARIÆ CIRCA OPPOSITIONEM CONTRAdictoriam in particulari difficultates enodantur.

50 QUÆRES 1., quænam propoſitio contradicat huic, *Omnes homines currunt*? Non enim contradicere videtur iſta, *Aliqui homines non currunt*; quia utraque ſimul falſificabitur, ſi unus tantùm homo non currat. Miſsis aliorum reſponſionibus, dico, eamdem eſſe contradictoriam illius, *Omnes homines currunt*, ac iſtius, *Omnis homo currit*, hanc ſcilicet, *Aliquis homo non currit*. Ratio: quia plurale ſignum *omnes*, quotiès prædicatum non obſtat diſtributioni per ſingulas unitates, importat ſuppoſitionem pro ſingulis non minùs, quàm ſingulare *omnis*.

51 Patet hoc ex dictis *Diſp.* 4. *n.* 42.; atque etiam ex loco Iſaiæ c. 53., *Omnes nos quaſi oves erravimus, unuſquiſque in viam ſuam declinavit*; ubi cernis, ſignum *omnes* reſolutum per ſignum *unuſquiſque*, quod idem valet ac *omnis*. Eodem igitur jure contradicit utrique ſignum *aliquis non*: ſi enim dicas, *Aliqui non*, negabis

plus, quàm ſufficit ad falſitatem univerſalis.

52 *Objic.*: in eventu, quo unicus homo exiſtat, & currat, ambę propoſitiones, quas dicimus contradictorias, falſificantur: prima, quia eſt de ſubjecto non ſupponente, nam *Tò omnes homines* ſupponit exiſtere plures; ſecunda, quia nullus eſt homo, qui non currat. *Reſp.* hæc difficultas æquè vexat communes contradictorias, *Omnis homo currit*, *Aliquis homo non currit*: ſive enim dicatur *omnis homo*, ſive *omnes homines*, æquè ſupponitur falſa pluralitas, dum unicus exiſtit homo. Itaque particularis negativa tunc eſt vera; quia disjunctivè reſpicit homines etiam non exiſtentes: eoſdem ſcilicet, quos pro objecto habet univerſalis affirmativa, dum eos falsò ſupponit exiſtere.

53 Hinc inferes, has quoquè contradictorias eſſe, *Omnis verus Deus eſt Omnipotens*, *Aliquis verus Deus non eſt Omnipotens.* Nam prima eſt falſa, utpotè de ſubjecto non ſupponente, id eſt, implicitè aſſerente veram Deorum multitudinem, quæ dari non poteſt: unde re ipsâ loquitur de Dijs fictis, & chymericis, ſupponendo eſſe poſsibiles, & veros. De ijſdem ergo loqui debet ſecunda propoſitio, ſaltem dum profertur ut oppoſita primę. Tunc autem vera eſt: quia de aliquo Deo chymerico verè negatur, quòd ſit omnipotens.

54 Nec novum eſt, quòd particularis varium

rium induat ſenſum ex conſpectu univerſalis, cui contraponitur. Sic univerſali veræ, *Omnis homo eſt moriturus*, contradicit hæc particularis, *Aliquis homo non eſt moriturus*, cenſeturque falſa, quia ex conſpectu univerſalis loquitur de homine exiſtente; cum tamen ſecundùm ſe verificari poſſet de homine poſsibili numquam naſcituro.

55 *Quæres* 2., quî fiat contradictio, ubi datur ſubjecti ſuppoſitio ſimplex? *Reſp.*: ſuppoſitio hęc utpote *immobilis* (id eſt, incapax reſolutionis, atque deſcensûs), tractanda eſt ut ſuppoſitio ſingularis, nihilque in contradictione variandum, præter negationem copulę additam: ſic v. g., *Animal eſt genus*, *Animal non eſt genus*. Idem cenſendum de ſuppoſitione confusâ, necnon de copulatâ: quia atraque eſt velut *immobilis*, utpotè non admittens deſcenſum in plures propoſitiones ſimplices. His igitur, *Aliquis oculus requiritur ad videndum*, *Omnes Apoſtoli ſunt duodecim*, contradicetur ſic, *Aliquis oculus non requiritur ad videndum*, *Omnes Apoſtoli non ſunt duodecim*, dummodò ſervetur in negativis eadem ſuppoſitio confuſa, vel copulata.

56 Undè colliges, quòd propoſitioni veræ, *Omnis homo, ſervans omne mandatum Dei, ſalvabitur*, non contradicit iſta, *Aliquis homo, ſervans aliquod mandatum Dei, non ſalvabitur*, cùm ſit etiam vera in his, qui ex unius mandati tranſgreſſione damnantur. Hæc ergo ritè contradicet, *Ali-*

quis homo, ſervans omne mandatum Dei, *non ſalvabitur*, invariato ſigno *omni*, quia copulatè ſupponit. Idem intellige de ſignis *omne*,& *aliquod*, immediatè appoſitis prædicato præcipuo, quæ invariata retineri debent, ſic nimirùm, *Omnis homo eſt omne animal*, *Aliquis homo non eſt omne animal.*

57 *Quær.* 3.: quo pacto ſtatuenda ſit contradictio in ſignis dualitatis, *uterque*, *alter*, *&c.*? Concedunt omnes, quòd *neuter*, & *alter*, invicèm contradicant (niſi *alter* confuſe accipiatur), ut cùm dicitur, *Neuter homo currit*, *Alter homo currit.* Difficultas eſt in ſignis *Uterque*, & *Alter non*; quibus contradictionem effici, communiter negatur: quia ſubjectum propoſitionis, *Uterque homo currit*, redit hunc ſenſum, *Alicujus binarij hominum hic & ille currit*: ſenſus autem hujus, *Alter homo non currit*, hic eſt, *Alicujus binarij hominum aliquis non currit.* Quo ſenſu utraque propoſitio poterit eſſe vera, ſi dentur hominum binarij duo, quorum in uno ambo currant, & in alio non currat alter.

58 Aſſentior omninò, ſi ſemel ſtatuatur, illum eſſe germanum propoſitionis utriuſque ſenſum. Quo poſito aſſertioni, *Uterque homo currit*, contradicetur ſic, *Nullius binarij hominum hic & ille currit.* Sed, ut jam alibi notavimus, talium ſignorum uſus poſtulat certum binarium, de quo ſit ſermo. Sic, cum dicitur Geneſ. 2., *Erat autem*

tem uterque nudus, protinùs additur, *Adam ſcilicet & uxor ejus*; quaſi *uterque* non perfectè ſignificet, niſi binarius deſignetur. Hoc autem ſenſu (ſaltem dum abeſt ſuppoſitio confuſa, vel copulata) *Uterque*, & *Alter non*, proculdubio important contradictionem.

59 *Quær.* 4., quid ſentiendum de propoſitionibus hiſce, *Petrus diſtat à me*, *Petrus non diſtat à me*? *Reſp.*. Sunt contradictoriæ. *Objic.*: ſi Petrus non exiſtat, utraque falſificabitur: prima, ut per ſe patet; ſecunda, quia ſignificat, Petrum eſſe in loco mihi propinquo. *Reſp.* Licèt propinquitas loci vulgariter explicari ſoleat per non diſtantiam; tamen *Tò non diſtat* propriè reddere poteſt ſenſum purè negativum, ita ut excludat locum diſtantem, quin aſſerat propinquum. Idem dici poterit in his, *Petrus deſinit eſſe latro*, *Petrus non deſinit eſſe latro*, quæ ſimul falſę videntur, ſi Petrus non fuit unquam latro. Reipsâ tamen ſecunda vera eſt, dummodo *Tò non deſinit* purè neganter accipiatur.

60 Sed, ut compendio contradicas, tum propoſitionibus ſupradictis, tum alijs quibuslibet, accipe regulam, ſeu maximam dialecticam: *Non eſt melius contradicere, quàm ſi toti propoſitioni præponatur negatio.* Præpone igitur negationem, quæ afficiat, non ſolùm ſubjectum, ſed totius enuntiati veritatem; ita ut, ſi dicas, *Non Petrus diſtat à me*, ſenſus ſit iſte, *Non eſt verum, quòd*

Pe-

Digitized by Google

Petrus diſtat à me. Et ne putetur negatio infinitare ſubjectum, aut ſignis quantitativis, *omnis*, *nullus*, *aliquis*, *&c.*, tribuere æquipollentiam, de qua dicetur cap. ſeq.; oportebit inter negationem & ſubjectum inſerere adverbium *verè*, vel *utique*, hoc modo: *non verè Petrus diſtat à me*, *Non utique omnes homines currunt*, *Non verè omnis Deus eſt omnipotens*; & ſic de alijs.

61 Hîc tractari ſolet de propoſitionibus, quas vocant *ſemet falſificantes*, *inextricabiles*, *&* *inſolubiles*, eo quòd in ipſis ita complicetur cum falſitate veritas, ut appareant veræ, quia falſæ, & falſæ, quia veræ, conſequentèrque ſibimetipſis contradicant. Unde varij formantur nodi, qui primo aſpectu videntur pluſquam Gordiani. Sed nodos omnes inde reſultantes, partim ruptos, partim ſolutos invenies in noſtr. Summul. fuſior., Certè per ſe notum principium eſt, quòd *Omnis enuntiatio aut vera eſt, aut falſa; nullaque poteſt vera ſimul & falſa eſſe circa idem objectum.*

CAP. IV.

DE PROPOSITIONUM ÆQUIPOLLENTIA, & Converſione.

62 ÆQUIPOLLENTIA propoſitionum eſt idem valor, aut eadem vis ſignificationis, quæ mille modis contingere poteſt. In præſenti ſolùm agitur de modo, quo propoſitiones oppoſitæ, prout ſunt in typo, ſeu tabulâ cap. 2. deſcriptâ, reddi poſſunt æquipollentes, prepoſi-

ſitâ, vel poſtpoſitâ ſyncategorematis quantitativis particulâ *non*, & terminis de cætero invariatis. Quem ad finem habeto præ oculis carmen ſummuliſticum.

Præ Contradic. Poſt Contra. Præ, poſtque Subalter.
Et ſequentia: *Non omnis, quidam non: omnis non,* quaſi *nullus.*
Non nullus, quidam: ſed *nullus non* valet *omnis.*
Non aliquis, nullus: non quidam non valet *omnis.*

63 *Præ Contradic.* indicat, Contradictorias fieri ęquipollentes, ſi alterutri earum, ſeu affirmanti, ſeu neganti, adveniat nova negatio, præponaturque ſigno quantitativo. V. g. hę ſunt Contradictoriæ, *Omnis homo eſt juſtus*, *Aliquis homo non eſt juſtus*: ſi negationem præponas univerſali affirmativæ ſic, *Non omnis homo eſt juſtus*, deſinit eſſe contradictoria, & fit æquipollens particulari negativæ, juxta illud, *Non omnis*, *quidam non*, ſive *Aliquis non*. Pariter particularis negans, novâ negatione præpoſitâ ſic, *Non aliquis homo non eſt juſtus*, fit ęquipollens univerſali affirmanti, quia *Non quidam non* valet *omnis*. Idem eveniet, ſi contradictorię ſint univerſalis negans, & particularis affirmans; quia *Non nullus*, *quidam*, & *Non aliquis*, *nullus*.

64 *Poſt Contra.* denotat, contrarias univerſales, v. g. *Omnis homo eſt juſtus*, *Nullus homo eſt juſtus*, exuere contrarietatem, & reddi æquipollentes, ſuperveniente negatione, & poſtpoſitâ ſubjec-

jecto utriuslibet, ſic nimirum, *Omnis homo non;* vel *Nullus homo non.* Veritas hęc liquebit conſideranti, ſi meminerit, quod *Omnis non*, quaſi *nullus*, & *Nullus non* valet *omnis.*

65 Denuum *Præ, poſtque Subalter.*, innuit, æquipollentes fieri ſubalternas, præpoſitâ ſimul & poſtpoſitâ negatione ſubjecto alterutrius. V. g. Subalternæ ſunt, *Omnis homo eſt juſtus, Aliquis homo eſt juſtus*: e quibus prima redditur æquivalens ſecundæ ſic, *Non omnis homo non eſt juſtus*: & ſecunda primæ ſic, *Non aliquis homo non eſt juſtus.* Non aſſignatur æquipollentia ſubcontrariarum; quia nulla eſſe poteſt, niſi fortè nimis durè, ut ſi hanc, *Aliquis homo eſt juſtus*, negationibus oneres hoc modo, *Non non aliquis homo non eſt juſtus*, ut ita æquipolleat iſti, *Aliquis homo non eſt juſtus.*

66 Hæc omnia plana ſunt ex terminis ipſis, & communi more loquendi; ſaltem ſi excipias æquipollentiam terminorum *Non omnis*, & *Quidam non*, quam Hieronies Caramuelis operoſe impugnat, contendens terminum *Non omnis*, æquipollere ſimul hiſce ambobus, *Quidam non*, *Quidam ſic.* Non abſurdè; ſed ſi terminis ſolùm attenditur explicita ſignificatio termini *Non omnis*, quæ purè negativa eſt, quantum habet terminus *Quidam non.*

DE CONVERSIONE.

67 PROPOSITIONUM Converſio eſt, *Unius ad alteram per extremorum tranſpoſitio-*

tionem conſequentia neceſſaria & formalis. Itaquè propoſitio tunc converti dicitur, cùm termini ſic tranſponuntur, ut qui ſubjecti locum tenebat, fiat prædicatum, & vice versâ, quin ulla fiat in affirmatione, vel negatione mutatio. Cùm autem hoc modo una ex aliâ propoſitio deducitur, quę antecedens eſt, dicitur *converſa*; quæ verò conſequens, vocatur *convertens.*

68 Triplex converſio diſtingui ſolet: prima *Simplex*, ſive *in terminis*, quę terminos tranſmutat eâdem quantitate retentâ: ſecunda *Per acidens*, ſive *in partem*, in qua mutatur etiam quantitas univerſalis in particularem: Tertia *Per contrapoſitionem*, in qua termini ex finitis redduntur infiniti, vel è contrario. Quas ſpecies per varias propoſitiones diſtribuunt vulgata carmina.

Simpliciter Feci convertitur: *Eva per accid.*
Aſto per contrap. Sic fit converſio tota.

Qui verſus explicantur his alijs.

Aſſerit A., negat E.: ſed univerſaliter ambæ.
Aſſerit I., negat O.: ſed particulariter ambæ.

69 Quorum ſenſus eſt: vocales E., & I., dictionis *Feci*, denotant, converti *ſimpliciter* propoſitionem univerſalem negativam, & particularem affirmativam: v. g. *Nullus homo eſt leo*, ergo *Nullus leo eſt homo*: item, *Aliquis homo eſt Sacerdos*, ergo *Aliquis Sacerdos eſt homo.* Vocales E., & A., dictionis *Eva*, denotant, poſſe converti *per accidens* univerſales negativam, & affirmativam: v. g.

Nul-

propoſitio loquatur de eodem objecto, ijſdem circunſtantijs objectivis affecto. Nec officit, imò requiritur in contradictione circa ſubjectum commune variatio quantitatis de universali in particularem; ut conſtat ex tabulâ.

47 *Secunda regula*: ut pro contradictoriâ oppoſitione retineat utraque propoſitio eadem ſyncategoremata (exceptis quantitativis ex parte ſubjecti, ut nùnc monuimus), eadem ſcilicet adverbia, caſus obliquos, &c.: itemque, ut quæ in alterâ affirmantur ſyncategoremata, ad verbum, aut prædicatum pertinentia, negentur in alterâ. Unde huic propoſitioni, *Petrus eſſentialiter eſt doctus*, non contradicit hęc, *Petrus eſſentialiter non eſt doctus*, ſed iſta potiùs, *Petrus non eſſentialiter eſt doctus.*

48 *Tertia*: ut oppoſitio evadat contradictoria, omnes univerſalitates unius propoſitionis, diſtributivè poſitę, in alterâ particularitates eſſe debent: v. g. contradictoria iſtius, *Cujuſvis hominis omnis anima ſemper & ubique exiſtit*, debet ita formari, *Cujuſdam hominis quædam anima non exiſtit aliquando, vel alicubi*: ubi cernis univerſalitates terminorum *cujuſvis*, *omnis*, *ſemper*, *ubique*, nec non conjunctionis *&*, mutatas in particularitates *cujuſdam*, *quædam*, *aliquando*, *alicubi*, ac *vel*: conjunctiones enim *&*, ac *vel*, ſic inter ſe comparantur, ut prima ſit quaſi univerſalis, ſecunda, quaſi particularis.

De

49 De opoſitione complexarum, & exponibilium dicemus inferiùs. Hìc diſputari ſolet, an oppoſitio contradictoria ſit omnium maxima? Item, an ſubcontraria propriè ſit oppoſitio? Sed de his conſule Summul. fuſior.

CAP. III.

VARIÆ CIRCA OPPOSITIONEM CONTRAdictoriam in particulari difficultates enodantur.

50 QUÆRES 1., quænam propoſitio contradicat huic, *Omnes homines currunt*? Non enim contradicere videtur iſta, *Aliqui homines non currunt*; quia utraque ſimul falſificabitur, ſi unus tantùm homo non currat. Miſsis aliorum reſponſionibus, dico, eamdem eſſe contradictoriam illius, *Omnes homines currunt*, ac iſtius, *Omnis homo currit*, hanc ſcilicet, *Aliquis homo non currit*. Ratio: quia plurale ſignum *omnes*, quotiès prædicatum non obſtat diſtributioni per ſingulas unitates, importat ſuppoſitionem pro ſingulis non minùs, quàm ſingulare *omnis*.

51 Patet hoc ex dictis *Diſp.* 4. *n.* 42.; atque etiam ex loco Iſaiæ c. 53., *Omnes nos quaſi oves erravimus, unuſquiſque in viam ſuam declinavit*; ubi cernis, ſignum *omnes* reſolutum per ſignum *unuſquiſque*, quod idem valet ac *omnis*. Eodem igitur jure contradicit utrique ſignum *aliquis non*: ſi enim dicas, *Aliqui non*, negabis

 plus,

plus, quàm ſufficit ad falſitatem univerſalis.

52 *Objic.*: in eventu, quo unicus homo exiſtat, & currat, ambæ propoſitiones, quas dicimus contradictorias, falſificantur: prima, quia eſt de ſubjecto non ſupponente, nam *Tò omnes homines* ſupponit exiſtere plures; ſecunda, quia nullus eſt homo, qui non currat. *Reſp.* hæc difficultas æquè vexat communes contradictorias, *Omnis homo currit*, *Aliquis homo non currit*: ſive enim dicatur *omnis homo*, ſive *omnes homines*, æquè ſupponitur falſa pluralitas, dum unicus exiſtit homo. Itaque particularis negativa tunc eſt vera; quia disjunctivè reſpicit homines etiam non exiſtentes: eoſdem ſcilicet, quos pro objecto habet univerſalis affirmativa, dum eos falsò ſupponit exiſtere.

53 Hinc inferes, has quoquè contradictorias eſſe, *Omnis verus Deus eſt Omnipotens*, *Aliquis verus Deus non eſt Omnipotens*. Nam prima eſt falſa, utpotè de ſubjecto non ſupponente, id eſt, implicitè aſſerente veram Deorum multitudinem, quæ dari non poteſt: unde re ipsâ loquitur de Dijs fictis, & chymericis, ſupponendo eſſe poſsibiles, & veros. De ijſdem ergo loqui debet ſecunda propoſitio, ſaltem dum profertur ut oppoſita primæ. Tunc autem vera eſt: quia de aliquo Deo chymerico verè negatur, quòd ſit omnipotens.

54 Nec novum eſt, quòd particularis va-

rium

rium induat ſenſum ex conſpectu univerſalis, cui contraponitur. Sic univerſali veræ, *Omnis homo eſt moriturus*, contradicit hæc particularis, *Aliquis homo non eſt moriturus*, ;cenſeturque falſa, quia ex conſpectu univerſalis loquitur de homine exiſtente; cum tamen ſecundùm ſe verificari poſſet de homine poſsibili numquam naſcituro.

55 *Quæres* 2., quî fiat contradictio, ubi datur ſubjecti ſuppoſitio ſimplex? *Reſp.*: ſuppoſitio hęc utpote *immobilis* (id eſt, incapax reſolutionis, atque deſcensûs), tractanda eſt ut ſuppoſitio ſingularis, nihilque in contradictione variandum, præter negationem copulę additam: ſic v. g., *Animal eſt genus*, *Animal non eſt genus*. Idem cenſendum de ſuppoſitione confusâ, necnon de copulatâ: quia atraque eſt velut *immobilis*, utpotè non admittens deſcenſum in plures propoſitiones ſimplices. His igitur, *Aliquis oculus requiritur ad videndum*, *Omnes Apoſtoli ſunt duodecim*, contradicetur ſic, *Aliquis oculus non requiritur ad videndum*, *Omnes Apoſtoli non ſunt duodecim*, dummodò ſervetur in negativis eadem ſuppoſitio confuſa, vel copulata.

56 Undè colliges, quòd propoſitioni veræ, *Omnis homo, ſervans omne mandatum Dei, ſalvabitur*, non contradicit iſta, *Aliquis homo, ſervans aliquod mandatum Dei, non ſalvabitur*, cùm ſit etiam vera in his, qui ex unius mandati tranſgreſſione damnantur. Hæc ergo ritè contradicet, *Ali-*

quis homo, ſervans omne mandatum Dei, ***non ſalvabitur***, invariato ſigno *omni*, quia copulatè ſupponit. Idem intellige de ſignis *omne*, & *aliquod*, immediatè appoſitis prædicato præcipuo, quæ invariata retineri debent, ſic nimirùm, *Omnis homo eſt omne animal*, *Aliquis homo non eſt omne animal.*

57 *Quær.* 3.: quo pacto ſtatuenda ſit contradictio in ſignis dualitatis, *uterque*, *alter*, *&c.*? Concedunt omnes, quòd *neuter*, & *alter*, invicèm contradicant (niſi *alter* confuſe accipiatur), ut cùm dicitur, *Neuter homo currit*, *Alter homo currit.* Difficultas eſt in ſignis *Uterque*, & *Alter non*; quibus contradictionem effici, communiter negatur: quia ſubjectum propoſitionis, *Uterque homo currit*, redit hunc ſenſum, *Alicujus binarij hominum hic & ille currit*: ſenſus autem hujus, *Alter homo non currit*, hic eſt, *Alicujus binarij hominum aliquis non currit.* Quo ſenſu utraque propoſitio poterit eſſe vera, ſi dentur hominum binarij duo, quorum in uno ambo currant, & in alio non currat alter.

58 Aſſentior omninò, ſi ſemel ſtatuatur, illum eſſe germanum propoſitionis utriuſque ſenſum. Quo poſito aſſertioni, *Uterque homo currit*, contradicetur ſic, *Nullius binarij hominum hic & ille currit.* Sed, ut jam alibi notavimus, talium ſignorum uſus poſtulat certum binarium, de quo ſit ſermo. Sic, cum dicitur Geneſ. 2., *Erat au-*

tem

tem uterque nudus, protinùs additur, *Adam ſcilicet & uxor ejus*; quaſi *uterque* non perfectè ſignificet, niſi binarius deſignetur. Hoc autem ſenſu (ſaltem dum abeſt ſuppoſitio confuſa, vel copulata) *Uterque*, & *Alter non*, proculdubio important contradictionem.

59 *Quær.* 4., quid ſentiendum de propoſitionibus hiſce, *Petrus diſtat à me*, *Petrus non diſtat à me*? *Reſp.*. Sunt contradictoriæ. *Objic.*: ſi Petrus non exiſtat, utraque falſificabitur: prima, ut per ſe patet; ſecunda, quia ſignificat, Petrum eſſe in loco mihi propinquo. *Reſp.* Licèt propinquitas loci vulgariter explicari ſoleat per non diſtantiam; tamen *Tò non diſtat* propriè reddere poteſt ſenſum purè negativum, ita ut excludat locum diſtantem, quin afferat propinquum. Idem dici poterit in his, *Petrus deſinit eſſe latro*, *Petrus non deſinit eſſe latro*, quæ ſimul falſę videntur, ſi Petrus non fuit unquam latro. Reipsâ tamen ſecunda vera eſt, dummodo *Tò non deſinit* purè neganter accipiatur.

60 Sed, ut compendio contradicas, tum propoſitionibus ſupradictis, tum alijs quibuslibet, accipe regulam, ſeu maximam dialecticam: *Non eſt melius contradicere, quàm ſi toti propoſitioni præponatur negatio.* Præpone igitur negationem, quæ afficiat, non ſolùm ſubjectum, ſed totius enuntiati veritatem; ita ut, ſi dicas, *Non Petrus diſtat à me*, ſenſus ſit iſte, *Non eſt verum, quòd Pe-*

Digitized by Google

Petrus diſtat à me. Et ne putetur negatio infinitare ſubjectum, aut ſignis quantitativis, *omnis, nullus, aliquis, &c.*, tribuere æquipollentiam, de qua dicetur cap. ſeq.; oportebit inter negationem & ſubjectum inſerere adverbium *verè*, vel *utique*, hoc modo: *non verè Petrus diſtat à me*, *Non utique omnes homines currunt*, *Non verè omnis Deus eſt omnipotens*; & ſic de alijs.

61 Hîc tractari ſolet de propoſitionibus, quas vocant *ſemet falſificantes*, *inextricabiles*, *&* *inſolubiles*, eo quòd in ipſis ita complicetur cum falſitate veritas, ut appareant veræ, quia falſæ, & falſæ, quia veræ, conſequentèrque ſibimetipſis contradicant. Unde varij formantur nodi, qui primo aſpectu videntur pluſquam Gordiani. Sed nodos omnes inde reſultantes, partim ruptos, partim ſolutos invenies in noſtr. Summul. fuſior., Certè per ſe notum principium eſt, quòd *Omnis enuntiatio aut vera eſt, aut falſa; nullaque poteſt vera ſimul & falſa eſſe circa idem objectum.*

CAP. IV.

DE PROPOSITIONUM ÆQUIPOLLENTIA, & Converſione.

62 ÆQUIPOLLENTIA propoſitionum eſt idem valor, aut eadem vis ſignificationis, quæ mille modis contingere poteſt. In præſenti ſolùm agitur de modo, quo propoſitiones oppoſitæ, prout ſunt in typo, ſeu tabulâ cap. 2. deſcriptâ, reddi poſſunt æquipollentes, prępoſi-

ſitâ, vel poſtpoſitâ ſyncategorematis quantitativis particulâ *non*, & terminis de cætero invariatis. Quem ad finem habeto præ oculis carmen ſummuliſticum.

Præ Contradic. Poſt Contra. Præ, poſtque Subalter.
Et ſequentia: *Non omnis, quidam non*: *omnis non*, quaſi *nullus*.
Non nullus, quidam: ſed *nullus non* valet *omnis*.
Non aliquis, nullus: *non quidam non* valet *omnis*.

63 *Præ Contradic.* indicat, Contradictorias fieri ęquipollentes, ſi alterutri earum, ſeu affirmanti, ſeu neganti, adveniat nova negatio, præponaturque ſigno quantitativo. V. g. hę ſunt Contradictoriæ, *Omnis homo eſt juſtus*, *Aliquis homo non eſt juſtus*; ſi negationem præponas univerſali affirmativæ ſic, *Non omnis homo eſt juſtus*, deſinit eſſe contradictoria, & fit æquipollens particulari negativæ, juxta illud, *Non omnis*, *quidam non*, ſive *Aliquis non*. Pariter particularis negans, novâ negatione præpoſitâ ſic, *Non aliquis homo non eſt juſtus*, fit ęquipollens univerſali affirmanti, quia *Non quidam non* valet *omnis*. Idem eveniet, ſi contradictorię ſint univerſalis negans, & particularis affirmans; quia *Non nullus*, *quidam*, & *Non aliquis*, *nullus*.

64 *Poſt Contra.* denotat, contrarias univerſales, v. g. *Omnis homo eſt juſtus*, *Nullus homo eſt juſtus*, exuere contrarietatem, & reddi æquipollentes, ſuperveniente negatione, & poſtpoſitâ ſubjec-

jecto utriuslibet, ſic nimirùm, *Omnis homo non;* vel *Nullus homo non.* Veritas hęc liquebit conſideranti, ſi meminerit, quod *Omnis non*, quaſi *nullus*, & *Nullus non* valet *omnis.*

65 Demùm *Præ, poſtque Subalter.*, innuit, æquipollentes fieri ſubalternas, præpoſitâ ſimul & poſtpoſitâ negatione ſubjecto alterutrius. V. g. Subalternæ ſunt, *Omnis homo eſt juſtus*, *Aliquis homo eſt juſtus*: è quibus prima redditur æquivalens ſecundæ ſic, *Non omnis homo non eſt juſtus*: & ſecunda primæ ſic, *Non aliquis homo non eſt juſtus.* Non aſsignatur æquipollentia ſubcontrariarum, quia nulla eſſe poteſt, niſi fortè nimis durè, ut ſi hanc, *Aliquis homo eſt juſtus*, negationibus oneres hoc modo, *Non non aliquis homo non eſt juſtus*, ut ita æquipolleat iſti, *Aliquis homo non eſt juſtus.*

66 Hæc omnia plana ſunt ex terminis ipſis, & communi uſu loquendi; ſaltem ſi excipias æquipollentiam terminorum *Non omnis*, & *Quidam non*, quam Hercules Caramuelis operoſe impugnat, contendens, terminum, *Non omnis*, æquipollere ſimul hiſce duobus, *Quidam non*, *Quidam ſic.* Non abnuo: ſed in præſenti ſolùm attenditur explicita ſignificatio termini *Non omnis*, quæ purè negativa eſt, qualem habet terminus *Quidam non.*

DE CONVERSIONE.

67 PROPOSITIONUM Converſio eſt, *Unius ad alteram per extremorum tranſpoſitio-*

tionem conſequentia neceſſaria & formalis. Itaque propoſitio tunc converti dicitur, cùm termini ſic tranſponuntur, ut qui ſubjecti locum tenebat, fiat prædicatum, & vice versâ, quin ulla fiat in affirmatione, vel negatione mutatio. Cùm autem hoc modo una ex aliâ propoſitio deducitur, quę antecedens eſt, dicitur *converſa*; quæ verò conſequens, vocatur *convertens*.

68 Triplex converſio diſtingui ſolet: prima *Simplex*, ſive *in terminis*, quę terminos tranſmutat eâdem quantitate retentâ: ſecunda *Per acidens*, ſive *in partem*, in qua mutatur etiam quantitas univerſalis in particularem: Tertia *Per contrapoſitionem*, in qua termini ex finitis redduntur infiniti, vel è contrario. Quas ſpecies per varias propoſitiones diſtribuunt vulgata carmina.

Simpliciter Feci convertitur: *Eva per accid.*
Aſto per contrap. Sic fit converſio tota.

Qui verſus explicantur his alijs.

Aſſerit A., negat E.: ſed univerſaliter ambæ.
Aſſerit I., negat O.: ſed particulariter ambæ.

69 Quorum ſenſus eſt: vocales E., & I., dictionis *Feci*, denotant, converti *ſimpliciter* propoſitionem univerſalem negativam, & particularem affirmativam: v. g. *Nullus homo eſt leo*, ergo *Nullus leo eſt homo*: item, *Aliquis homo eſt Sacerdos*, ergo *Aliquis Sacerdos eſt homo*. Vocales E., & A., dictionis *Eva*, denotant, poſſe converti *per accidens* univerſales negativam, & affirmativam: v. g. *Nul-*

Digitized by Google

Nullus homo eſt leo, ergo *Aliquis leo non eſt homo*: *Omnis homo eſt animal*, ergo *Aliquod animal eſt homo*.

70 Vocales A., & O., dictionis *Aſto*, denotant, converti poſſe *per contrapoſitionem* enuntiationes univerſalem affirmativam, & particularem negativam: v. g. *Omnis homo eſt animal*, ergo *Omne non animal eſt non homo*: *Aliquis homo non eſt albus*, ergo *Aliquod non album non eſt non homo*.

71 Tria hæc Converſionum genera docuit, ac demonſtravit Ariſtoteles *lib.* 1. *Prior. c.* 2., & *lib.* 2. *Topic. c.* 3. Videſis demonſtrata breviter in Summul. fuſior.. Nunc obſerva notationes ſequentes. *Not.* 1.: totum prædicatum propoſitionis converſæ fieri debet ſubjectum convertentis. Unde propoſitiones, *Nullum Cælum eſt in ſtellâ*, *Aliquis equus eſt Regis*, perperàm convertuntur ſic, *Nulla ſtella eſt in Cælo*, *Aliquis Rex eſt equi*, vel *eſt equus*: debet ergo mutari totum prædicatum hoc pacto, *Nullum exiſtens in ſtellâ eſt Cælum*, *Aliquod ens Regis eſt equus*.

72 *Not.* 2.: in Converſione retineri debet eadem ſuppoſitio (exceptâ variatione quantitativâ requiſitâ ad Converſionem *per accidens*), eadem item ampliatio, reſtrictio, cæteræque proprietates terminorum. Unde malè ſic inferes, *Aliqua ſpecies eſt homo*, ergo *Aliquis homo eſt ſpecies*; quia ſuppoſitio ſimplex mutatur in perſonalem. Malè item ſic, *Omne ridens eſt homo*, ergo *aliquis homo*

eſt

Digitized by Google

eſt ridens: quia in conſequenti, niſi aliquid addas, terminorum ſuppoſitio eſt contingens, & in antecedenti plerùmque naturalis; non ſecùs, ac ſi diceretur, *Omnis homo ridens eſt homo.*

73 Imò generalitèr, quotiès aliquid dicitur de accidenti ſibi ſoli proprio, ſeu quoties ſubjectum eſt concretum accidentale ſoli prędicato conveniens, ſuppoſitio evadit plerùmque naturalis, & abſtrahit ab exiſtentiâ præſenti, ut cùm dicitur, *Omne Grammaticum eſt homo*, quod perinde ſonat, ac *Omne Grammaticum, quandocumque extiterit, eſt homo.* Tunc ergo propoſitio convertens debet aliquâ notâ retentam indicare ſuppoſitionem converſæ, v. g. *Omne ridens eſt homo*, cujus ſenſus eſt, *Omne ridens, quandocumque exiſtit, eſt homo,* debet converti ſic, ergo *Aliquis homo eſt ridens, quandocumque ridens exiſtit.* Si tamen converſa ſupponat contingenter ex parte ſubjecti, inoffenſo pedę convertetur.

74 Prætereà ex varietate ampliationis vitioſa eſt converſio iſtiuſmodi, *Aliquis cœcus eſt videns*, ergo *aliquis videns eſt cœcus*: nam in antecedenti ampliatur ſubjectum ad tempus etiam præteritum hoç ſenſu, *Aliquis, nunc exiſtens, qui fuit cœcus*: at in conſequenti reſtringitur idem terminus ad tempus præſens. Debet ergo convertens ita formari, *Aliquis videns eſt exiſtens, qui fuit cœcus.*

75. Ex varietate alienationis claudicat ſi-

ſimiliter hæc converſio, *Aliquis homo eſt mortuus*, vel *eſt pictus*, ergo *Aliquid mortuum*, vel *pictum eſt homo*: nam in converſâ accipitur *homo* per alienationem pro eo, qui fuit, & non eſt, cum dicitur mortuus; & pro eo, qui ſpecie tenùs eſt homo, cùm dicitùr pictus: at in convertente accipitur *homo* per ſtatum. Quare ſervari debet idem ſenſus hoc pacto, *Aliquid, quod mortuum eſt, fuit homo, Aliquid pictum eſt homo ſpecie tenùs.*

76 Quoties ergo propoſitio talis eſt, ut ejus converſio fieri nequeat trito & communi modo, quin varietur acceptio terminorum, quærenda phraſis, quâ ſenſus retineatur illæſus. Hinc propoſitio vera, *Aliquod generans eſt eſſentia Divina*, non benè convertitur ſic, ergo *Eſſentia Divina eſt generans*, quæ falſa eſt. Ratio: quia in primâ *Tò generans* accipitur ſubſtantivè, in ſecundâ adjectivè, quaſi diceretur, *Eſſentia Divina generat*, ſeu *denominatur generans.* Ut igitur eadem acceptio ſervetur, debet converſio formari ſic: *Aliquod generans eſt eſſentia Divina*, ergo *Eſſentia Divina eſt aliquid, quod eſt generans*, vel *eſt id, quod eſt generans*. Sed de his Theologi in tractatu de Divina Trinitate.

77 *Not.* 3.: propoſitio de verbo adjectivo indiget aliquâ reſolutione ut convertatur. Si enim dixeris, *Aliquis homo currit*, ergo *Currit aliquis homo*, non converſionem, ſed repetitionem efficies. Tale itaque verbum reſolvi debet in par-

tis

Digitized by Google

ticipium, & verbum *eſt*; videlicet, *Aliquis homo currit*, ergo *Aliquid currens eſt homo*: vel, quod in idem recidit, verbum adjectivum aſſumi debet in ſubjectum cum relativo, & copula principalis exprimi verbo *eſt*; nimirùm, A*liquis homo currit, ergo* A*liquid*, *quod currit*, *eſt homo*.

78 *Not*. 4.: verbum ſubſtantivum de præterito, & futuro, æquipollet verbo adjectivo, in ordine ad converſionem, ſaltem cùm ſubjectum & prædicatum pro formali requirunt ſucceſsionem temporis. Quare in converſione propoſitionum de præterito, & de futuro, ut citra periculum fiat, ſervanda eſt regula modò tradita pro verbis adjectivis, ut ſcilicet vel reſolvantur in participia, vel aſſumantur in ſubjectum cum relativo.

79 Hinc illegitima eſt converſio hæc, *Nullus puer fuit ſenex*, ergo *Nullus ſenex fuit puer*: uti & hęc, *Nullus ſenex erit puer*, ergo *Nullus puer erit ſenex*. Vel ergo utraque priùs in participium reſolvenda cum verbo *eſt*, hoc pacto, *Nullus puer eſt factus ſenex*, *Nullus ſenex eſt futurus puer*: tumque rectè convertentur ſic, ergo *Nullus factus ſenex*, *eſt puer*, ergo *Nullus futurus puer*, *eſt ſenex*: vel certè verba *fuit*, *erit*, à convertentibus aſſumenda in ſubjectum cum relativo, ſic nimirùm, ergo *Nullus*, *qui fuit ſenex*, *eſt puer*, ergo *Nullus, qui erit puer*, *eſt ſenex*.

80 *Not. ult*.: converſio locum habet in propoſitionibus etiam ſingularibus: pro quibus ſe-

quentes regulæ traduntur. *Prima*: propoſitio de utroque extremo ſingulari, ſive ſit affirmans, ſive negans; convertitur ſimpliciter. V. g. *Petrus eſt hic homo*, ergo *hic homo eſt Petrus*: *Petrus non eſt hic leo*, ergo *hic leo non eſt Petrus.*

81 *Secunda*: propoſitio de ſubjecto ſingulari, & prædicato communi, dum eſt affirmativa, convertitur in particularem; dum verò negativa, tum in particularem, tum in univerſalem. Ex. g. *Petrus eſt homo*, ergo *Aliquis homo eſt Petrus*: *Petrus non eſt leo*, ergo *Aliquis leo non eſt Petrus*, vel etiam *Nullus leo eſt Petrus.*

82 *Tertia*: propoſitio, ſeu affirmativa, ſeu negativa, de prędicato ſingulari, & ſubjecto communi notâ univerſalitatis affecto, convertitur in terminis, ſive ſimpliciter. Ex. g. *Omnis Perſona Divina eſt Deus*, ergo *Deus eſt omnis Perſona Divina*: *Nullus Angelus eſt hic homo*, ergo *hic homo non eſt ullus Angelus*: nec excluditur converſio *per accidens.*

83 *Quarta*: propoſitio de prædicato ſingulari, & ſubjecto communi indefinito, vel particulari, ſi affirmativa ſit, convertitur etiam in terminis, ut facilè quiſque experietur: ſi verò negativa ſit, non convertitur ratione formæ; non enim valet, *Aliquis homo non eſt Petrus*, ergo *Petrus non eſt aliquis homo.*

84 *Objicies* contra ſecundam regulam: hęc propoſitio, *Deus factus eſt homo*, non rectè conver-

ti-

titur in iſtam, *Homo* (*vel Aliquis homo*) *factus eſt Deus*; quia prior eſt vera, & poſterior falſa. *Reſp.*: converſio ideò rectè non fit, quia non convertit totum prædicatum; nam participium *factus* ad prædicatum pertinet. Sic igitur fieri debet, ergo *factus homo*, ſeu *qui factus eſt homo*, *eſt Deus*. Eâdem ratione propoſitio hæc, *Lignum factum eſt album*, (idem eſto de ſimilibus alijs), malè convertitur ſic, ergo *Album factum eſt lignum*: ſed convertenda ſic, ergo *Quod factum eſt album*, *eſt lignum*.

CAP. V.

DE ENUNTIATIONE COMPLEXA.

85 CELEBRIS diviſio Enuntiationis eſt in *Simplicem*, & *Complexam*. Simplex eſt, *Cujus principalis copula eſt verbum logicum*, ſeu *copula verbalis*. De hac egimus hactenùs per ſuperiora capita. Complexa eſt, *Cujus præcipua copula eſt nexus non verbalis*, *connectens ut minimùm duo extrema*, *ſingula vim enuntiationis ſimplicis habentia*.

86 Præcipua copula cenſetur illa, quæ principalitèr intenditur, aut intenta videtur, ab enuntiante. Undè hæc enuntiatio eſt complexa, *Deus humilia reſpicit*, *& alta à longe cognoſcit*: nam qui totum hoc conjunctum profert, præcipuè intendit ſignificare utriuſque extremi ſimultatem, quam denotat particula *Et*, qui nexus eſt non verbalis. Idcircò talis conjunctio dicitur copula principalis: quæ tamen non efficeret enuntiationem complexam, ni-

ſi extrema, quæ nectit, vim enuntiationis haberent; ut patet in hoc conjuncto, *Petrus*, & *Paulus*.

87 Dividitur paſsim Enuntiatio complexa in *Copulativam*, *Disjunctivam*, *Conditionalem*, *Cauſalem*, & *Rationalem*: quas inter ſe diſcernit copula unicuique præcipua, qualem exhibent eodem ordine particulæ ſequentes, *Et*, *Vel*, *Si*, *Quia*, *Ergo*. Breviùs, & immediatiùs dividi poſſet in *Categoricam*, & *Hypotheticam*: ac deinde *complexa categorica* ſubdividi in *Copulativam*, & *Disjunctivam*; *Hypothetica* verò, in *Conditionalem*, *Cauſalem*, & *Rationalem*; quæ tres, quia unum enuntiant ex ſuppoſitione, vel ſub conditione poſitionis alterius, propriè vocantur Hypotheticæ.

88 Nam græca vox *Hypotheſis*, latinè eſt *ſuppoſitio*, vel *Conditio*. Vox autem *Categorica* perindè ſonat, ac *abſolutè prædicativa*; convenitque tum cuivis Enuntiationi ſimplici, tum duabus illis complexis primę, & ſecundæ ſpeciei, præſertim copulativæ. Ideo *categoricè* loqui vulgò dicitur, quicumque ſine ſuppoſitionibus, aut conditionibus enuntiat. Sed uſu Scholæ tritiſsimo, omnis, & ſola propoſitio ſimplex vocatur *Categorica*, uti & omnis complexa dicitur *Hypothetica*.

89 Forma Enuntiationis complexæ communiter dicitur eſſe copula principalis, ſeu particula complexiva. Rectè quidèm, ſi forma accipiatur pro charactere, quo propoſitiones complexæ diſcernuntur inter ſe, & à ſimplicibus. Forma tamen,

men, quæ orationem conſtituit in eſſe *artefacti complexi enuntiativi*, non eſt ſola conjunctio *vel* v. g., ſed ſimul cum copulâ verbali utriuſque extremi: ſi enim verbalis copula auferatur ab hoc artefacto, *Petrus eſt doctus, vel Paulus eſt indoctus*, manebit quidem oratio complexa, *Petrus doctus, vel Paulus indoctus*: Sed non manebit enuntiativa. Integratur ergo forma Enuntiationis complexæ ex utrâque copulâ verbali, & nexu præcipuo non verbali.

90 Hinc materia, *ex qua*, propoſitionis complexæ, ſunt termini, quibus conſtat utraque ſimplex. Materia *circa quam* eadem eſt, quæ ſimplicium, ex quibus complexa conſtituitur, & ex quibus etiam deſumitur quantitas, & qualitas Enuntiationis complexę. Sed hæc explicabuntur ſingillatim.

DE COPULATIVA.

91 COMPLEXA Copulativa dicitur, *Cujus præcipua copula eſt conjunctio*, &, aliave ſimilis: ut P*etrus docet*, & P*aulus diſcit*. Si nullam negationem includat, erit omninò affirmativa. Si præcipua copula negatione afficiatur, erit abſolutè negativa, etiamſi utraque ſimplex affirmativa ſit, v. g. *Non* & P*etrus docet*, & P*aulus diſcit*. Si verò utraque ſimplex ſit negativa, copula tamèn præcipua non afficiatur negatione, v. g. P*etrus non docet*, & P*aulus non diſcit*, abſolutè cenſetur affirmativa: quia denominatio *affirmantis*, aut *negantis* ſumitur à copulâ principali.

92 Copulativa, quæ ratione copulæ princi-

palis affirmativa eſt, erit falſa, ſi vel una ex ſimplicibus falſa ſit, v. g. *Homo eſt animal*, *&* *Angelus eſt lapis*. Quare, ut vera ſit, poſtulat ſimultaneam veritatem omnium ſimplicium, quibus conſtat. Erit item *neceſſaria*, ſi utraque ſimplex neceſſaria ſit, ut *Deus eſt ſummum bonum*, *&* *peccatum eſt ſummum malum*. Erit *impoſsibilis*, ſi utraque, vel altera ſimplex ſit impoſsibilis; atque etiam ſi componatur ex contingentibus inter ſe contradictorijs, aut contrarijs, ut *Petrus currit*, *&* *non currit*, *Petrus eſt juſtus*, *&* *Nullus homo eſt juſtus*. Erit *contingens*, ſi ex ſimplicibus inter ſe non oppoſitis in veritate, utraque, vel altera ſit contingens, & neutra impoſsibilis.

93 Quòdſi Copulativa ſit negans ratione copulę principalis, erit vera, ſi vel unum, vel utrumque extremum re ipsâ deficiat: hæc enim v. g., *Non & Petrus currit*, *&* *Paulus ſedet*, negat actu conjungi utrumque extremum: duorum autem conjunctio verè negatur, quando vel unum deeſt. Sed cum in omni genere enuntiationis complexæ negativa ſemper contradictoria ſit affirmativæ, regula generalis eſt pro Copulativâ, & reliquis: ut, quotiès affirmativa eſt falſa, negativa ſit vera, & è converſo: item, quotiès affirmativa eſt neceſſaria, negativa ſit impoſsibilis, & vice versâ: ac demùm vel neutra, vel utraque ſit contingens.

DE

§ 9. DE DISJUNCTIVA.

94 COMPLEXA Disjunctiva eſt, *Cujus præcipua copula eſt particula*, *vel*, aliave ſenſu ſimilis: ut illa, quam dixiſſe fertur Dionyſius Areopagita, cùm videret tenebras in Paſsione Domini factas, *Aut Deus naturæ patitur*, *aut Mundi machina diſſolvitur*. Nulla disjunctiva cenſetur abſolutè negans, quàmvis utraque ſimplex negativa ſit, niſi negatio præponatur copulæ principali ab ipſo propoſitionis initio, v. g. *Non aut Deus naturæ patitur*, *aut Mundi &c.*, ut ſuprà de Copulativâ dictum eſt.

95 Ad veritatem Disjunctivæ affirmantis ſufficit, quòd alterutra ſimplex vera ſit, quantùmlibet altera ſit falſa, & impoſsibilis; ut ex ipſo loquendi uſu notum eſt. Unde & erit *neceſſaria*, ſi altera ex ſimplicibus neceſſaria ſit, necnon ſi componatur ex contingentibus inter ſe contradictorijs, aut ſubcontrarijs: v. g. *Petrus currit*, *vel non currit*. Erit *impoſsibilis*, ſi utraque ſimplex impoſsibilis etiam ſit. Erit *contingens*, ſi altera ſaltem è ſimplicibus ſit contingens, & altera nec ſit neceſſaria, nec alteri contradictoria, aut ſubcontraria: v. g. *Petrus eſt doctus*, *vel Paulus eſt indoctus*. Disjunctiva negans ſemper eſt contradictoria affirmantis, ex cujus proinde comparatione diſcernenda eſt negantis veritas, aut falſitas, itemque neceſſitas, impoſsibilitas, & contingentia, ut notavimus num. 93.

Digitized by Google

96 Sed dubium eſt, an veritas Disjunctivę affirmantis ſtare poſsit, quando utraque ſimplex vera eſt? V. g. an vigilante Petro, & dormiente Paulo, verè dicatur, *Petrus vigilat, vel Paulus dormit*? De hoc vide Summulas fuſiores. Interim ſcito, copulam disjunctivam ſumi poſſe vel *excluſivè*, vel *permiſsivè*. Sumitur *excluſivè*, quotiès loquimur de extremis inſociabilibus, ut cùm dicimus, *Quodlibet eſt, vel non eſt*; quod idem ſignificat, ac *Impoſsibile eſt idem ſimul eſſe, & non eſſe*: atque etiam quotiès intendimus objectivè disjungere unum ab altero; ut cùm hęc, *Petrus aut eſt Muſicus, aut eſt Logicus*, ex intentione dicentis ęquivalet huic, *Aut eſt tantùm Muſicus, aut eſt tantùm Logicus.*

97 Sumitur verò *permiſsivè*, quotiès intentio dicentis eſt ſtatuere unum ſaltem extremum, quidquid ſit de altero; ut ſi nupera propoſitio ſic exponatur, *Quidquid ſit, an Petrus ſimul ſit Muſicus, & Logicus, ſaltem aut eſt Muſicus, aut eſt Logicus*. Senſus hic eſt uſitatiſsimus, dum loquimur de extremis inter ſe non pugnantibus. Nec aliter ſtare poſſet regula disjunctivi Deſcenſûs, omnibus probata (vid. Diſp. 4.): nam ex hac particulari v. g., *Aliquis homo eſt animal*, perperàm deſcendes hoc pacto, *ergo vel hic homo eſt animal, vel ille eſt animal, &c.*, niſi disjunctionem accipias *permiſsivè*.

98 Tunc igitur particula *vel* non ſignificat objectivam ſeparationem extremorum, ſed totam propoſitionem determinat ad talem modum tenden-

dendi, qui contentus ſit alterutro extremo, & præſcindat à conjunctione cum altero, permittatque, ut aliunde ſeparari poſsint, aut conjungi. Non aliter ac, cùm dicitur, *Aliquis homo currit*, *unus ex hominibus currit*, nec prohibetur, nec exigitur, ut duo, ſive etiam omnes currant. Itaque particulæ *&*, ac *vel* ſolam habent oppoſitionem ſubalternam, ſicut *Omnis*, & *Aliquis*, aut *Uterque*, & *Alter*.

DE CONDITIONALI.

99 INTER propoſitiones propriè hypotheticas prima eſt conditionalis, illa ſcilicet, *Cujus præcipua copula eſt particula Si*: *v.g. Si Sol lucet, dies eſt.* Extremum ſubſtans particulæ *Si*, vocatur *hypotheſis*, ſive *conditio*: alterum verò extremum appellatur *conditionatum*. Sic in adducto exemplo, *tò Sol lucet*, eſt conditio; *tò dies eſt*, conditionatum. Propoſitio Conditionalis in quatuor membra dividitur, nempè in *Illativam*, *Influxivam*, *Mixtam ex his*, *&* *purè Conjunctivam*.

100 *Illativa* dicitur, *In qua conditio connectitur cum conditionato*: v. g. *Si ridet, eſt homo*; *Si datur unio, dantur extrema.* In his conditio vocatur *Antecedens*; conditionatum verò *Conſequens*. *Influxiva*, quæ & *Cauſalis* appellatur, eſt, *In qua conditio conducit ad poſitionem conditionati, tanquam illius cauſa, vel requiſitum ex parte cauſæ*: v. g. *Si Petrus vocetur auxilio A, convertetur*; *Si æger hic vocaret Medicum, ſanaretur.*

101 *Mixta* dicitur, *In qua conditio & eſt*

cau-

cauſa conditionati, & cum eo connectitur: v. g. *Sol alius creabitur, ſi Deus illum creare decernat*. Hæc porrò connexio dicitur *metaphyſica*, dum eſt omninò infruſtrabilis, ut in proximo exemplo: dicitur *phyſica*, ſive *ex natura rei*, dum ſine miraculo fruſtrari non poteſt, ut *Si datur ignis, datur calor*: dicitur *moralis*, dum non fruſtratur niſi rarò, & difficultèr, ut *Si Mater eſt, diligit filium*.

102 Deniquè *purè Conjunctiva* eſt, *In qua enuntiatur poſitio conditionati pro caſu exiſtentiæ conditionis, quin hæc importet connexionem, nec conducentiam*: v. g. *Si Petrus ſit albus, erit dives; Si Papa cantet, Turca dormiet*. His additur *Promiſsiva*, ut *Si viceris, coronabo te*. Sed hæc reducitur, nunc ad Cauſalem, nunc ad purè Conjunctivam, prout fuerit hypotheſis.

103 Sunt, qui nullam Conditionalem veram agnoſcant, quæ non ſit *Illativa*, ſaltem extrinſecè ex Divino decreto ſubjectivè abſoluto, & objectivè conditionato, quod infallibilitèr alliget extrinſecè conditionem, & conditionatum. Sed Conditionales ſaltem de hypotheſi conducente, etſi non illativas, poſſe veras eſſe, tuentur omnes Scholæ noſtræ Doctores. Imò & *purè Conjunctivam* (quam vocant *Diſparatam*, ſeu *de conditione diſparata*) veram eſſe poſſe, quamquàm nos lateat, quando locutio ſit vera, quando falſa, ſolique Deo notùm ſit, tenet communior in Scholâ noſtrâ ſententia. Sed fuſiùs iſta Theologi in Tract. de Scientia Dei.

Mo-

Digitized by Google

104 Modò *Not.* 1.: nulla Conditionalis eſt negativa, niſi negatio immediatè præfigatur particulæ *Si*, ut fatentur omnes. *Not.* 2.: Conditionalis affirmans, ut vera ſit, nullius extremi abſolutam exiſtentiam requirit. Hinc eſt proloquium illud: *Conditionalis nihil ponit in eſſe*: id eſt, veritas conditionalis nihil poſtulat in ſtatu exiſtentiæ abſolutę. Itaque ad veritatem *Illativæ* ſufficit bonitas conſequentiæ ab hypotheſi apprehenſa ad conditionatum, etiamſi neutrum extremum ſit abſolutè poſſibile: v. g. *Si leo eſt homo, eſt rationalis*; *Si homo volat, habet alas*. Quotiès autem deeſt bonitas illationis, falſa eſt Conditionalis in ſenſu illativo, etiamſi conſequens verum ſit, ut *Si Petrus eſt animal, eſt homo*.

105 Ad veritatem Conditionalis non illativæ, ſufficit, & requiritur, quòd re ipsâ ponendum eſſet conditionatum pro caſu exiſtentiæ hypotheſis, etſi neutrum ſit unquam extiturum. Idem dicendum de Conditionali *Promiſsivâ*, propriè, ac directè ſumpta, quatenùs aliquid enuntiat re ipsâ futurum ſub hypotheſi. Si tamen accipiatur ut ſignificans promiſsionem præſentem, ab iſtius exiſtentiâ præſenti pendet, quòd vera ſit, aut falſa.

106 *Not.* 3.: Conditionalis illativa, in eo genère, ſeu gradu, quo illativa eſt, nunquam eſt *contingens*: ſed, ſi vera eſt, erit *neceſſaria*; ſi falſa, erit *impoſsibilis*. At, quæ non eſt illativa, plerùmquè eſt *contingens*. Erit tamen *impoſsibilis*, ſi condi-

di-

Digitized by Google

ditionatum ſit conditioni oppoſitum, vel aliundè repugnet, ut, *Si Petrus ſedet, ambulat*, vel, *Si homo eſt animal, Leo eſt lapis.* Poterit etiam eſſe *neceſſaria*, ſi conditionatum cum conditione non pugnet, & aliundè ſit neceſſarium, ut *Si Sol lucet, homo eſt animal. Not.* 4.: Conditionali neganti tribuenda ſunt hæc omnia per oppoſitum affirmantis, cui ſemper eſt contradictoria.

DE CAUSALI, ET RATIONALI.

107 CAuſalis hypothetica eſt, *Cujus præcipua copula eſt particula Quia*: v. g. *Quia Petrus eſt rationalis, eſt admirativus.* Hæc continet ut minimùm duas categoricas: quarum ea, cui apponitur *tò Quia*, dicitur *Antecedens*; altera *Conſequens.* Ut vera ſit, tria requirit: primum, ut utraque categorica ſit abſolutè vera: ſecundum, ut Conſequens bené inferatur ex Antecedenti: tertium, ut inferatur tamquam ex cauſa, vel ratione *cur.* Horum quolibet deficiente, propoſitio eſt falſa, ut hæc, *Quia Petrus eſt animal, eſt homo.*

108 Hinc Cauſalis ſtricta nunquam eſt *contingens*: ſed, ſi eſt vera, eſt *neceſſaria*; ſi falſa, eſt *impoſſibilis.* Hinc etiam regula communis eſt, quòd ex Cauſali verâ ſequitur univerſalis ſimplex: v.g. ex hac, *Quia Petrus eſt rationalis, eſt admirativus*, rectè ſequitur, *Ergo omne rationale eſt admirativum.*

109 Sed nota, non ſemper tam ſtrictè accipi *tò Quia.* Sæpè enim non denotat cauſam neceſſariò connexam cum effectu, ſed motivum ex ſe condu-

ducens; indifferens tamen, & ex alienâ determinatione conjunctum cum effectu, ut *Petrus obtinet Cathedram, quia dignus eſt.* Sæpè etiam denotat conditionem *ſine qua non*, quæ tamen ſola non ſufficit: ſæpè non niſi cauſam removentem prohibens, ut *Quia Petrus non reſtitit, occiſus eſt.* His autem in caſibus propoſitio Cauſâlis poterit eſſe *contingens*, ut quiſque videt. Nota inſupèr, cauſalem non reddi negativam, niſi negatio præfigatur particulæ *Quia*, tuncque jura omnia affirmativæ oppoſita ſervare.

110 Rationalis demùm hypothetica dicitur, *Cujus præcipua copula eſt Ergo, vel Igitur*: v. g. *Sol lucet, ergo dies eſt.* Hæc, ut vera ſit, poſtulat utriuſque partis veritatem, atque etiam ut ſecunda legitimè ſequatur ex primâ, undecumque inter ſe connectantur, ut *Petrus ridet, ergo eſt homo.* Verùm, quæ dicitur propoſitio Rationalis, re verâ non eſt propoſitio una, ſed duplex, cum ſit formalitèr Argumentatio; nec ad ſecundam intellectûs operationem pertinet, ſed ad tertiam. Aliud eſt in hypotheticis præcedentibus; quæ, licèt contineant diſcurſum virtualem, tamen ad ſecundam operationem ſpectant, quia non ſervant ritum, & formam Argumentationis. Idcircò, quidquid de Rationali dicendum ſupereſt, ad ſequentem Diſput. remittimus.

Oppoſitio Propoſitionum Complexarum.

111 INter propoſitiones Complexas nulla oppoſitio *formalis*, ſeu de *forma*, reperitur, niſi Contradictoria. Ratio eſt: quia oppoſitio

de

de forma verſari debet inter affirmativam, & negativam ejuſdem generis. At complexa negativa ſemper eſt affirmativæ contradictoria. Nam, ut ſuprà oſtendimus, non eſt negativa, niſi negatio afficiat copulam principalem: tunc autem præciſè negat id, quod ſufficit, & requiritur, ut affirmativa falſificetur pro omni eventu; quæ propria eſt contradictionis menſura.

112 Explicatur in ſingulis. Huic Copulativæ affirmanti, *Petrus currit, & Paulus ſedet*, contradicit hæc negans, *Non & Petrus currit, & Paulus ſedet*; quia prçciſè negat utriuſque objecti conjunctionem, ex qua pendet pro omni eventu veritas, aut falſitas affirmantis. Huic item Disjunctivæ, *Petrus currit, vel Paulus ſedet*, contradicit hæc, *Non vel Petrus currit, vel Paulus ſedet*; quia ne unum quidem ex ijs objectis eſſe permittit, prout affirmantis veritas expoſcit.

113 Nec te moveat, quòd in negativis iterantur particulæ, *Et*, ac *Vel*. Hæc enim iteratio non variat ſenſum, etiam in affirmativis, cùm ſæpè in eis exprimatur, & fortè elegantiùs; imò dum non exprimitur, ſubintelligitur. In negativis autem expreſſa iteratio neceſſaria eſt, ne particula *non* (quæ congruo ſenſu collocari nequit in medio) putetur infinitare primum terminum, aut ſolam negare primam categoticam.

114 Prætereà in Conditionali negativa, ut *Non ſi Sol lucet, dies eſt, Non ſi Petrus exiſtat, erit doc-*

doctus, ſolùm negatur ſub hypotheſi illatio, ſive conjunctio conditionati, unde tota pendet veritas affirmantis. Pariter Cauſalis hęc, *Non quia Sol lucet, dies eſt*, unicè negat, quòd lux Solis de facto ſit cauſa diei: quę negatio ſi vera ſit, non poterit non eſſe falſa Cauſalis affirmans, & è converſo. Debet autem in his negatio poni in fronte totius hypotheticæ cum copulâ, ne alioqui prior categorica videatur tanquam vera ſupponi. Unde ſi dicas v. g., *Dies eſt, non quia Sol lucet*, non efficies contradictoriam affirmantis: quia utraque, noctu prolata, ſimul erit falſa.

115 Hùc facit regula illa Dialectica, *Non eſt meliùs contradicere, quam ſi toti propoſitioni præponatur negatio*. Nec exiſtimandum, quòd negatio poſita in fronte, diſtributivè negat ſingulas partes propoſitionis complexę. Quod enim dici ſolet, negationem excludere quidquid poſt ſe invenit, intelligendum eſt, quando negatio dirigitur ad copulam verbalem in propoſitione ſimplici; ſecùs verò, quando pręponitur copulis complexivis; quia tùnc ſolùm removet ſignificatum ipſarum.

116 Quod ſpectat oppoſitionem *de lege*, poterit illa reperiri inter Complexas, quæ ratione præcipuæ copulę ſint affirmantes, dummodò altera conſtet categoricis affirmativis, altera negativis. Quod ut noveris, accipe ſequentia documenta. 1. datur oppoſitio contraria inter Copulativas, quarum in alterâ negatur utrumque, vel alterum extre-

tremum, quod affirmatur in alterâ: v.g. *Petrus ſedet, & diſputat, Petrus non ſedet, & non diſputat*, vel etiam, *ſedet, & non diſputat.* Hę quippè in veritate pugnant, non in falſitate.

117 2.: inter Disjunctivas eâdem contrapoſitione formatas, datur oppoſitio ſubcontraria: v. g. *Petrus ſedet, vel diſputat*, *Petrus non ſedet, vel non diſputat*, aut etiam, *ſedet, vel non diſputat.* Pugnant enim in ſolâ falſitate.

118 3.: inter Copulativam, & Disjunctivam, nullâ negatione diſſidentes, datur oppoſitio ſubalterna. Si autem utriuſque extremi negatione diſſideant, ita ut extrema unius contradicant extremis alterius, opponuntur contradictoriè. Huic itaque, *Petrus ſedet, & diſputat*, hęc reſpondet ſubalterna, *Petrus ſedet, vel diſputat*; & hæc contradictoria, *Petrus non ſedet, vel non diſputat.* Ratio: quia conjunctiones *Et*, ac *Vel*, invicèm comparantur tamquam ſigna univerſale, & particulare, eo ferè modo, quo *Omnis*, & *Aliquis*, aut *Uterque*, & *Alter.*

119 4.: Conditionales, quæ ſub eadem hypotheſi, altera conditionatum affirmat, altera negat, ſunt contrariæ, ſi reddant ſenſum illativum: ſi verò purè conjunctivum, ſunt contradictorię; v. g. *Si Petrus eſt dives, eſt doctus*, *Si Petrus eſt dives, non eſt doctus.* 5.: Cauſales, ſimili contrapoſitione formatæ, contrarię ſunt, ut, *Quia eſt Logicus, eſt Muſicus*; *Quia eſt Logicus, non eſt Muſicus*;

us, quæ numquam ſimul veræ, falſæ tamen ſimul eſſe poſſunt.

120 Hic obſervandum, quòd ad Copulativas reducuntur Complexæ *adverſativæ*, ut *Juſtus à Mundo deſpicitur, ſed à Deo honoratur*: item complexæ *temporales*, & *locales*, ut *Quando* Petrus *docet*, P*aulus audit*, *Ubi Rex eſt*, *ibi ſunt Miniſtri*; niſi reddant ſenſum conditionalem, ut ſępè accidit. Obſervandum inſuper, quòd propoſitionibus Complexis non convenit Converſio, niſi ratione ſimplicium, quibus conſtant.

Notanda quædam circa Propoſitiones *de Relativo.*

121 PROPOSITIONES de relativo *Qui*, *quæ*, *quod*, tametſi formaliter Categoricæ, ſunt virtualiter complexæ, & in complexas reſolvuntur. Nam v. g., *Homo, qui diſputat*, *eſt doctus*, continet enuntiata duo: alterum directè ac præcipuè intentum, nempè *tò eſt doctus*, cujus copula dicitur *principalis*, & ex eâ pendet, quòd propoſitio ſit abſolute affirmans, aut negans: alterum indirectè inductum ſub relativo, & quaſi pro vero poſitum, aut ſuppoſitum, nempè tò *diſputat*, cujus copula vocatur *copula implicationis*, & licèt negativa ſit, non ideò propoſitio evadit abſolutè negans, aut è converſo.

122 Plures igitur Summuliſtæ docent, propoſitionem de relativo reſolvendam eſſe in complexam, cujus prima pars contineat copulam principalem ſine relativo, ſecunda copulam implicatio-

nis cum relativo, *Ille*, vel *Ipſe*, aut *Idem*: hoc tamen diſcrimine, quòd ſi reſolubilis affirmativa ſit, reſolvens debet eſſe complexa copulativa, non mutans copulam implicationis: hęc v. g., *Petrus, qui diſputat, eſt doctus*, reſolvitur ſic, *Petrus eſt doctus, & ipſe diſputat.* Si verò reſolubilis negativa ſit, reſolvens debet eſſe complexa disjunctiva, implicationis copulam mutans, ſcilicet negationem detrahendo, ſi habeat, vel addendo, ſi non habeat: unde hæc, *Petrus, qui diſputat, non eſt doctus*, reſolvitur per iſtam, *Petrus non eſt doctus, vel ipſe non diſputat.*

123 Addunt regulas alias circa ſuppoſitionem, & reſtrictionem relativorum, quas retulimus, & magnâ ex parte rejecimus in Sumul. fuſ. Nunc breviter dicimus, propoſitionem de relativo, ſive negativa ſit, ſive ſecùs, plerumquè benè reſolvi per copulativam illæsâ copulâ implicationis; illam v. g. *Petrus, qui diſputat, non eſt doctus*, per iſtam, *Petrus diſputat, & ipſe non eſt doctus.* Quiſquis enim cum relativo loquitur, cenſetur duo ſimul enuntiata velle, & utriuſque veritatem intendere copulatim. Nec quidquam refert collocatio copulę implicationis in primâ, vel ſecundâ parte reſolventis.

124 Sed adverte 1. quod interdùm relativo *Qui* redditur ſenſus conditionalis, v. g. in hac, *Homo, qui in lethali noxâ deceſſerit, condemnabitur*, vel etiam, *non ſalvabitur*; ubi perindè valet

qui, ac *ſi.* Tunc autem reſolvens debet eſſe conditionalis, nullâ additâ, vel detractâ negatione.

125 Adverte 2., quòd non tutò aſsignabitur contradictoria, contraria, vel ſubcontraria propoſitioni de relativo, niſi hæc priùs reſolvatur: factâ verò reſolutione, procedendum eſt juxta regulas oppoſitionis complexarum. Idem ſervandum, quando ex parte ſubjecti ponitur aliquid relativo æquivalens, ut in his, *Petrus albus currit*, *Pallium Petri eſt novum*; quarum ſubjecta idem valent, ac, *Petrus qui eſt albus*, *Pallium quod eſt Petri*, vel *quod habet Petrus.*

126 Adverte 3., quòd univerſalis de relativo, ſive affirmativa ſit, ſive negativa, non benè reſolvitur (ſaltem ratione formę) per complexam, niſi priùs reſolvatur ſubjectum ejus, id eſt, diſtribuatur in ſua inferiora cum relativo. Hęc v.g., *Omne animal, quod eſt rationale, eſt admirativum*, perperàm reſolvetur immediatè ſic, *Omne animal eſt admirativum*, *& ipſum eſt rationale.* Debet ergo priùs reſolvi ratione ſubjecti ſic, *Hoc animal, quod eſt rationale*, *eſt admirativum*, & ſic de reliquis in individuo; ut poſtea propoſitiones iſtæ ſingulares per copulativas reſolvantur ratione relativi.

De Conſequentia inter Complexas.

127 DICENDUM ſupereſt, quatenùs conſequentia valeat inter complexas hactenùs explicatas. Pro quo regulas accipe ſequentes. 1.: rectè arguitur à Copulativâ ad Disjunctivam

in affirmantibus; comparantur enim ut Subalternans, & ſubalternata, undè benè infertur, *Petrus currit, & loquitur, ergo vel currit, vel loquitur.* In negativis è converſo rectè arguitur à Disjunctiva ad Copulativam, quia comparantur, ut *Non aliquis*, & *Nullus*. 2.: Cauſali affirmativâ legitimè arguitur ad Copulativam, Disjunctivam, & Conditionalem: Cauſalis enim continet quidquid ad earum veritatem requiritur, & amplius.

128 3.: ex Conditionali rectè deducitur Disjunctiva cum negatione ſolius hypotheſis: ut *Si Sol lucet, dies eſt, ergo vel dies eſt, vel Sol non lucet*: atque etiam conditionalis alia de extremis formalitèr oppoſitis, quorum ſic mutet vices, ut conditionatum fiat hypotheſis, & è converſo, ſcilicèt, *ergo ſi dies non eſt, Sol non lucet*. 4.: à Copulativâ rectè arguitur ad quamlibet ejus partem determinatè, ſed non è converſo, ut per ſe patet. Idem intellige de Cauſali. At in Disjunctiva ex veritate cujuslibet partis infertur veritas totius Enuntiationis, non tamen vice verſâ.

CAP. VI.

DE ENUNTIATIONE EXPONIBILI.

129 PRopoſitionibus Complexis affines ſunt *Exponibiles*, ita dictæ, quia *ratione cujuſdam additi, obſcurum ſenſum importantis, indigent expoſitione*. Fit autem hæc expoſitio per clariores alias propoſitiones, quę dicuntur *Exponentes*, è quibus conficitur propoſitio Complexa, quam vir-

virtualiter continet Exponibilis. Triplex in præſenti ſpecies conſuevit exponi. Prima dicitur *Excluſiva*, ſecunda *Exceptiva*, tertia *Reduplicativa*.

DE EXCLUSIVA.

130 PRopoſitio Excluſiva eſt, quę conſtat ſigno excluſivo, ut *tantùm*, *duntaxat*, *ſolùm*, & ſimilibus: quę ſigna, ſi pertineant ad prædicatum, ut *Petrus eſt tantum Logicus*, efficiunt propoſitionem *de extremo excluſo*, & à ſubjecto excludunt cætera omnia prædicata ejuſdem generis. Quare dicta propoſitio ſic exponitur, *Petrus eſt Logicus, & nullam aliam artem ſcit.* Si verò excluſio ponatur ex parte ſubjecti, efficit Enuntiationem proprie *Excluſivam*, cujus diſtinguitur ſpecies quadruplex.

131 Prima ſpecies eſt, quæ nec ſigno excluſivo, nec verbo pręmittit negationem, ut *Solus homo eſt vivens*. Hęc prædicatum attribuit ſubjecto expreſſo, nempè homini, & cætera omnia ſubjecta excludit à participatione ejuſdem prædicati. Quare ſic exponitur, *Homo eſt vivens, & nullum aliud ſubjectum eſt vivens.* Secunda ſpecies eſt, in quà negatio afficit ſignum excluſivum, ut *Non tantùm homo eſt vivens.* Hæc etiam pręd icatum affirmat de ſubjecto expreſſo, & inſuper de aliquo alio. Ideò ſic exponenda: *Homo eſt vivens, & aliquid aliud eſt vivens.*

132 Tertia ſpecies eſt, quæ ſolum verbum negat, ut *Tantùm homo*, vel *Solus homo non eſt vivens.*

vens. Hæc prædicatum excludit à ſubjecto expreſſo, & illud attribuit ceteris omnibus. Undè exponitur ſic: *Homo non eſt vivens*, *& cetera omnia ſunt viventia*. Quarta ſpecies eſt, quę tam excluſioni, quam verbo pręfigit negationem, ut *Non tantùm homo non eſt vivens*. Hæc prædicatum negat de ſubjecto expreſſo, & inſuper de aliquo alio. Idcircò exponenda ſic: *Homo non eſt vivens*, *& aliquid aliud non eſt vivens*.

133 Ex his vides 1., expoſitionem Excluſivę ſemper fieri per copulativam, cujus prior categorica ſit ipſamet Exponibilis, detracto ſigno excluſivo cum ejuſdem ſigni negatione (ſi detur), de cætero invariata manens; atque hæc dicitur propoſitio *præjacens*: poſterior autem categorica vocatur *ſecunda exponens*, quę ſemper retinet idem prædicatum *præjacentis*. Vides 2., *ſecundam Exponentem* variari penes quantitatem, & negationem in quatuor ſpeciebus nunc enumeratis. Nam in primâ eſt univerſalis negativa: in ſecundâ, particularis affirmativa: in tertiâ, univerſalis affirmativa: in quartâ, particularis negativa.

134 Scio, plures Summuliſtas longè alitèr ſentire quoad ſecundam, & quartam. Docent enim, exponendas eſſe disjunctivè: nimirùm ſecundam ſic, *Nullus homo eſt vivens, vel aliquid aliud eſt vivens*: quartam verò ſic, *Omnis homo eſt vivens, vel aliquid aliud non eſt vivens*. Hinc inter illas quatuor Excluſivæ ſpecies varium genus oppoſitionis

ſta-

ſtatuunt: pro quo dignoſcendo tabulas proponunt; variaſque Dictiones memoriæ mandandas.

135 Sed verò nec res ipſa videtur tantâ confuſione, tædioque digna, nec expoſitio illa disjunctiva communi ſenſui congruit. Nemo non reſpuat Excluſivas haſce ſecundæ, & quartæ ſpeciei, *Non ſolus Deus eſt mendax*, *Non ſola virtus non eſt bona*, tamquam determinatè affirmantes, aut ſupponentes, Deum eſſe mendacem, & virtutem non eſſe bonam. Veræ tamen eſſent, ſi exponerentur ſic, *Deus non eſt mendax, vel aliquid aliud eſt mendax: Omnis virtus eſt bona, vel aliquid aliud non eſt bonum.* Idem cernere eſt in pluribus alijs.

136 Illa igitur, *Non tantùm homo eſt vivens*, non eſt negativa: quinimò magis affirmativa eſt, quàm iſta *Tantum homo eſt vivens.* Nec obſtat, quòd negationem fronte gerat. Quia omne ſignum excluſivum reipsâ vim negationis habet, ut docet D. Thomas 1. p.q. 31. art. 3. ad 2.: negatio autem negationi præpoſita vim ſuam exuit, juxta illud, *Duplex negatio affirmat*: ſic accidit, cùm dicitur, *Nonnullus homo currit.* Exponenda eſt ergo copulativè per duas affirmantes, ut ſuprâ n. 131. Hoc ipſum cogita, quando negatio afficit verbum, & ex parte prædicati datur excluſio; v. g. *Planetæ non ſunt tantùm ſeptem*: eſt enim propoſitio affirmativa, ſic exponenda, *Planetæ ſunt ſeptem, & plures ſunt, quàm ſeptem.*

137 Quapropter Excluſivis perperàm aſſigna-

nabis contradictorias in ſe, ſive invariatis terminis. Hæ quippè non ſunt contradictoriæ, *Tantùm Petrus eſt Logicus, Tantùm Petrus non eſt Logicus*; cùm poſsit utraque falſificari, ſi Petrus, & Paulus ſint Logici: nec iſtæ, *Tantùm Petrus eſt Logicus, Non tantùm Petrus eſt Logicus*; quia ſimul etiam falſificantur, ſi Petrus non ſit Logicus. Contradictio ergo formari debet in Exponentibus, quæ in unam Copulativam coeuntes, oppoſitionem admittunt ritu Copulativarum. Inter quatuor autem Excluſivæ ſpecies, invicèm comparatas, ſola intercedit oppoſitio contraria.

138 Hic *not.* 1.: nulla Excluſiva converſionem admittit invariatis terminis. Quare converſio fieri debet in Exponentibus. Illa tamen, quæ ad primam ſpeciem pertinet, converti poteſt in univerſalem affirmativam, excluſione ſublatâ, ut *Tantùm homo eſt Sacerdos, ergo omnis Sacerdos eſt homo.*

139 *Not.* 2.: ubi negatio excluſionem non afficit, non eſt locus Deſcenſui à ſubjecto communi ad ſingulare. Undè malè inferes, *Tantùm homo eſt Sacerdos*, ergo *Tantum Petrus eſt Sacerdos.* Si verò negetur excluſio, Deſcenſus licebit. *Nota* 3.: vetus paræmia fert, quòd *Dictio excluſiva non tollit concomitantia*, id eſt, non excludit ea, quę ſubjecto per ſe conveniunt in alio genere: qui enim dicit, *Petrus eſt tantùm Logicus*, excludit quidem alias Artes, ſed non excludit prædicata eſſentialia, &c.

De

DE EXCEPTIVA.

140 PROPOSITIO, quæ utitur ſigno exceptivo, *præter*, *niſi*, aut alio, ſi quod eſt ejuſdem poteſtatis, dicitur Exceptiva: ut *Omne animal, præter hominem, eſt irrationale.* Cùm autem exceptio ſit *detractio partis à toto*, duo requirit: 1., ut terminus exceptus, ſeu qui excipitur, in ſubjecto propoſitionis contineatur: 2., ut tale ſubjectum ſit aliquid univerſaliter ſumptum; aliter non accipietur ut totum. Hinc enuntiata iſta; *Omnis homo, præter equum, eſt rationalis, Aliquis homo, præter Petrum, eſt doctus*, rejicienda ſunt ut inepta, & falſi ſuppoſiti; nam primum ſupponit, equum eſſe hominem: ſecundum accipit hominem, non ut propriè totum reſpectu Petri, ſed ut individuum vagum, indifferens ad Petrum, & alios diviſivè.

141 Non rarò tamen idem ſonat *præter*, ac *ultra*, tuncque requiſitis hiſce non eget. Verè enim hoc ſenſu dicitur, *Præter hominem, bruta animantia ſentiunt*; *Præter Hiſpaniam, aliqua regio eſt Catholica*; id eſt, *ultra hominem, ultra Hiſpaniam.* Sed tunc non fit enuntiatio *Exceptiva*, ſed aliæ, quæ dici poterit *Extenſiva.*

142 Exceptiva ergo, niſi vocibus abutamur, nulla eſt, niſi univerſalis affirmativa, aut negativa. Affirmativa denegat parti, quod tribuit toti; petitque tres Exponentes; quarum prima affirmet totum de parte exceptâ: ſecunda neget prædica-

tum

tum de eadem parte, ſeu termino excepto; & tertia affirmet idem prædicatum de remanente. Unde hęc, *Omne animal, præter hominem, eſt irrationale*, ſic exponitur, *Homo eſt animal, Homo non eſt irrationalis, & animalia reliqua ſunt irrationalia.*

143 Negativa tribuit parti exceptę, quod denegat toti: & tribus etiam exponitur; primâ, ut nuper; ſecundâ affirmante prædicatum de termino excepto; & tertiâ idem negante de reliquis. Unde hæc, *Nullum animal, præter hominem, eſt rationale*, ita exponitur: *Homo eſt animal, Homo eſt rationalis, & animalia reliqua non ſunt rationalia.* In his, & ſuperioribus exponentibus, ſubjectum indefinitum ſupponit univerſaliter in materiâ neceſſariâ, & particulariter in contingenti.

144 *Not.* 1. Exceptiva non admittit contradictoriam in ſe, ſed in Expònentibus: nam prędictis univerſalibus non contradices, etſi dicas, *Non omne animal, præter hominem, eſt irrationale; Nonnullum animal, præter hominem, eſt rationale.* Ratio: quia in his deſtruitur univerſalitas, ſiquidem *Nonnullum*, & *Non omne*, idem valent, ac *Aliquod*, & *Aliquod non*. Tunc autem enuntiatio deſinit eſſe Exceptiva, & fit Extenſiva ex n. 141. Inter Exceptivas igitur ſola eſſe poteſt oppoſitio Contraria.

145 *Not.* 2.: uuicuique Exceptivæ ſua reſpondet Excluſiva, in quâ ſubjectum ſit terminus exceptus, & verbum quoad negationem varietur.

Un-

Unde prædictæ univerſali affirmanti æquivalet hæc Excluſiva, *Inter animalia, tantùm homo non eſt irrationalis*; neganti verò æquivalet hæc, *tantum homo inter animalia eſt rationalis.*

146 *Not.* 3.: apud Summuliſtas complures, quatuor diſtinguuntur Exceptivarum ſpecies, quas inter diſtribuuntur oppoſitiones contradictoria, contraria, ſubcontraria, & ſubalterna, cum ſuis tabulis, & clave dictionum in memoriæ ſubſidium. Sed ab his diſcedere nos cogit recepta loquendi, atque intelligendi conſuetudo, ut doctrinam, quam dedimus, tamquam veram, planam, ac facilem, amplectamur.

DE REDUPLICATIVA.

147 DICTIO, vim habens geminandi, aut iterandi, cujuſmodi eſt, *ut*, *prout*, *quatenùs*, *in quantum*, aliave ſimilis, dicitur *Reduplicans*, & *Reduplicatio*; & propoſitionem, cui ineſt, efficit *Reduplicativam*: v. g. *Homo, quatenùs rationalis, ridere poteſt.* Uſurpatur autem Reduplicatio multifariam. 1. in ſenſu alienante, ut *Homo, in quantum pictus, non ſentit.* 2. in ſenſu diminuente, ut *Æthiops, quatenus dentes habet, eſt albus*; aut etiam reſtringente ſubjectum commune ad partem ſubjectivam, ut *Animal quatenùs rationale, ridere poteſt.*

148 3. in ſenſu ſpecificativo, quando ſcilicet Reduplicatio detegit, unde ſubjectum reddatur capax prędicati, vel etiam quando conditio-

nem

nem ſignificat requiſitam, quæ tamen non ſit cauſa ſufficiens, ut prædicatum re ipsâ conveniat. v. g. *Chriſtus, in quantum homo, paſſus eſt*; *Ignis, ut applicatus, comburit*. Sępè tamen *ſpecificativè*, & *reduplicativè*, perindè ſonant, ac *materialitèr*, & *formalitèr*; uſurpanturque, dum loquimur de Connotativo, nunc ratione ſubjecti, nunc ratione formæ. Alias etiam acceptiones patitur dictio reduplicans, quas Scholæ uſu diſcetis.

149 Supereſt nunc ſenſus, qui propriè, vel maximè dicitur *reduplicativus*, quando ſcilicet reduplicatio cauſam exhibet, vel rationem *à priori*, cur prædicatum reipsâ conveniat ſubjecto: v. g. Petrus, *quatenùs Sacerdos, eſt honore dignus*. Hoc ſenſu efficitur propoſitio Reduplicativa, de qua in pręſenti: cui à Summuliſtis aſsignantur Exponentes quatuor, hoc ordine, Petrus *eſt honore dignus*, Petrus *eſt Sacerdos*, *Omnis Sacerdos eſt honore dignus*, & *quia aliquis homo eſt Sacerdos, eſt honore dignus*.

150 Sed, licet quatuor iſtæ rectâ conſequentiâ deducantur ex Reduplicativâ; hęc tamen breviùs, & faciliùs exponitur per Cauſalem, ſic nimirùm, Petrus, *quia eſt Sacerdos, eſt honore dignus*: nam ex Cauſali ſtrictè ſumptâ deducuntur paritèr illæ quatuor.

151 Reduplicativa contradictoriam patitur, non ſolùm in Exponente, ſed in ſe quòque, dummodò negatio reduplicationem afficiat hoc pacto,

Pe-

Petrus, non quatenùs Sacerdos, eſt honore dignus; quæ ſic exponitur *Petrus, non quia eſt Sacerdos, eſt &c.* Si verò negatio ſolam copulam afficiat ſic, *Petrus quatenùs Sacerdos, non eſt honore dignus*, reſultat oppoſitio contraria. Hîc etiam Dictionum clavim, & typum ſuggerunt Summuliſtę. Sed dicta ſufficiunt.

152 Unùm obſerva, paſsim Reduplicatione fieri ſenſum, non cauſalem, ſed formalem, ſive eſſentialem, ut cùm dicitur, *Homo, quatenùs animal, eſt vivens*; cujus ſenſus eſt, *Homo eſt animal, & eſt vivens, & ad eſſentialem conceptum animalis pertinet vivens*

CAPUT VII.

DE ENUNTIATIONIBUS MODALIBUS.

153 GENERATIM vocari poteſt propoſitio Modalis, quęcumque dictione aliquâ, pręſertim adverbio, denotat modum ſubjecti, aut prædicati, ut *Segniter pugnans, ſerò coronabitur*, ubi *ſegnitèr*, & *ſerò* dicuntur Modi. Nunc tamen ea duntaxat appellatur propoſitio Modalis, in qua reperitur dictio determinans indolem compoſitionis objectivæ, ſeu habitudinis unius ad aliud.

154 Modi Dialectici, qui præſentis ſunt inſtituti, numerantur quatuor, ſcilicet, *Neceſſe*, ſeu *Neceſſarium, Impoſsibile, Poſsibile, Contingens.* Neceſſarium dicitur, quod deficere non poteſt: Impoſsibile, cujus poſitio repugnat: Poſsibile, cujus

jus poſitio non repugnat, ſive ſit neceſſaria; ſive non: Contingens, cujus nec repugnat poſitio, nec defectus.

155 Quæ nullum continet ex hiſce Modis, dicitur *Propoſitio de ineſſe*, (aliàs dicitur *Propoſitio de ineſſe*, quæ conſtat verbo de præſenti): quæ verò aliquem ex his modum claudit, vocatur Modalis. Hæc poteſt duabus formulis efferri. 1. ſi Modus ponatur *adverbialiter*, ut *Deus neceſſariò eſt*. 2. ſi *nominaliter* accipiatur, ut *Deum exiſtere eſt neceſſarium*. Prior formula nunc omittitur; quia ſubeſt eiſdem ferè regulis, quibus poſterior.

156 Poſterior ergo formula, quæ ad præſens attinet, habet pro ſubjecto orationem infinitivi, quæ vocatur *Dictum*, de quo ſubjecto enuntiat Modum, tamquam prædicatum. Nihil autem refert collocatio Modi ante, vel poſt Dictum: ſemper enim ſenſus eſt idem, ſive dicas, *Deum eſſe neceſſe eſt*, ſive *Neceſſe eſt Deum eſſe*.

157 Itaque materia *ex qua* propoſitionis Modalis ſunt Dictum, & Modus: & copula, quę utrumque nectit, eſt forma; ex qua pendet, quòd Modalis evadat ſimpliciter affirmans, aut negans. Sed diſtinctionis gratiâ, ubi negatio removet Modum, id eſt, ubi afficit copulam pręcipuam, dicitur Propoſitio negativa de Modo, ut *Petrum currere non eſt neceſſe*: ubi autem negatur verbum Dicti, vocatur negativa de Dicto, ut *Petrum non currere eſt poſſibile*.

Ma-

Digitized by Google

158 Materia *circa quam*, ſi ſolùm Dictum ſpectes, poterit eſſe neceſſaria, contingens, vel impoſsibilis, ut in propoſitionibus *de ineſſe*. Si verò ſpectetur habitudo inter Dictum, & Modum (quæ abſolutè eſt materia Modalium), ſemper eſt, vel neceſſaria, vel remota, id eſt, impoſsibilis. Hinc nulla propoſitio Modalis eſt contingens: ſed ſi vera eſt, neceſſaria eſt; & , ſi falſa, impoſsibilis: nam vel ipſe Modus *Contingens*, ſi cui Dicto convenit, neceſſariò convenit; & ſicui non convenit, eidem repugnat. Veritas autem, & falſitas Modalium pendet ex convenientiâ, vel repugnantia Modi cum Dicto: unde vera eſt hæc, *Hominem eſſe lapidem impoſsibile eſt*, quàmvis Dictum in ſe videatur falſum.

159 Quantitas Modalium ex parte Dicti poterit eſſe univerſalis, particularis, indefinita, & ſingularis: at ex parte Modi, ſolùm eſt vel univerſalis, vel particularis. Modi *Neceſſe*, & *Impoſsibile*, cenſentur univerſales: Modi verò *Poſsibile*, & *Contingens*, particulares. Ratio: quia *Neceſſe* perpetuò ponit ſubjectum, de quo dicitur; ſicut *Impoſsibile* perpetuò tollit; & ideò comparantur ſignis, *Omnis*, & *Nullus*; quia ſicut in his eſt univerſalitas numeri, ita in illis univerſalitas temporis. At *Poſsibile*, & *Contingens*, ex ſe permittunt, ſubjectum aliquando non eſſe: quare comparantur ſigno *Quidam*, ob eamdem rationem. Rem iſtam exhibent vulgati verſus.

Om-

Omnis neceſſe valet : *Impoſsibile* , *Nullus*: *Poſsibile* , *Quidam* : *Quidam non* , *Poſsibile non*.

160 Sed nota *Contingens* bifariàm accipi. 1. propriè , dum ſignificat id , quod in utramque partem accidere poteſt , ſive quod poteſt eſſe , & non eſſe. 2. impropriè, dum præcisè ſignificat id , quod eſſe poteſt : quo ſenſu *Contingens* idem ſignificat, ac *Poſsibile* , & verificatur de omni re poſsibili , ſive ſit neceſſaria,ſive non. Atque ita in præſenti accipitur à Summuliſtis exemplo Ariſtotelis.

161 Dices : *Contingens* , dum ita accipitur, non auget numerum Modorum , cùm non diſtinguatur à modo *Poſsibile* , niſi voce tenùs. *Reſp*.. Hujuſce rei alia ratio non eſt , niſi *quia ſic voluere priores*. Modum iſtum , etſi logicè indiſtinctum à Modo *Poſsibile* , retinebimus, nè quidquam de tabulâ conſuetâ, mox ſubjiciendâ, detrahamus, ſeorſim dicturi poſtmodùm de contingenti propriè accepto , qui re ipsâ quartus eſt Modus.

OPPOSITIO , ET ÆQUIPOLLENTIA Modalium.

162 SI ſub eiſdem terminis , id eſt , ſub eiſdem Dicto , & Modo , ſola detur varietas affirmationis , & negationis in præcipuâ copulâ, reſultabit oppoſitio Modalium Contradictoria:v.g.*Neceſſe eſt Deum eſſe, Non neceſſe eſt Deum eſſe* : idemque erit in quovis alio Modo. Ratio: quia altera præcisè negat, quod ſufficit , & requi-

ri-

ritur ad falſitatem alterius; nec medium cogitari poteſt inter *neceſſe*, & *non neceſſe*, & ſic de Modis alijs. Debet autem idem Dictum (ſive ſit commune, ut *Hominem*, vel *Omnem hominem loqui*, ſive ſingulare, ut *Petrum loqui*) prorsùs invariatum utrobique ſervari; nec Modus variandus alitèr, quàm ſolâ negatione. Atque hęc dici poterit Oppoſitio *de formâ*.

163 Ubi nota, non variari ſenſum phraſibus hiſce, *Neceſſe non eſt*, *Non neceſſe eſt*, *Non eſt neceſſe*; quia negatio ſemper afficit præcipuam copulam, & negat Modum. Negatio ergo in præſenti non cenſetur poſtpoſita Modo, niſi quando pertinet, non ad Modum, ſed ad Dictum. Unde, cùm loquimur de Modis, *Neceſſe non*, *Poſsibile non &c.*, Modalem intelligimus negativam de Dicto, v. g. *Poſsibile eſt Petrum non loqui*.

164 Quo poſito, reperitur etiam inter Modales omne genus Oppoſitionis (quæ vocari poterit oppoſitio *de lege*), ſi certa fiat combinatio Modorum inter ſe. Nam Modales de *Neceſſe*, & *Impoſsibili*, ſunt Contrariæ: Modales de *Neceſſe*, & *Poſsibili non*, atque etiam de *Impoſsibili*, & *Poſsibili*, Contradictoriæ: Modales de *Poſsibili*, & *Poſsibili non*, (idem puta de *Contingenti* impropriè accepto), Subcontrariæ: Modales de *Neceſſe*, & *Poſsibili*, atque etiam de *Impoſsibili*, & *Poſsibili non*, Subalternę. Hęc omnia percipies; tum ex comparatione Modorum cum ſignis *Omnis*, *Nul-*

lus, *Quidam*, & *Quidam non*; tum ex obvio ſenſu enuntiationum ipſarum.

165 Modalium Æquipollentiam deprehendes ex eâdem comparatione cum ſignis quantitativis, *Omnis*, *Nullus*, *&c.* ſi memineris illius carminis, *Præ Contradic. &c.*, & aliorum de quibus ſuprà cap. 4.. Undè colliges, Modales contradictorias fieri æquipollentes negatione præpoſitâ Modo utriuslibet: has v. g. *Impoſſibile eſt* Petrum *loqui*, P*oſſibile eſt* P*etrum loqui*, æquipollere, ſi prima ſic incipiat, *Non impoſſibile eſt*, aut ſecunda ſic, *Non poſſibile eſt*. Idem invenies proportione ſervatâ in alijs Oppoſitionibus, & Modis.

166 Ut traditam de Oppoſitione, & Æquipollentiâ doctrinam memoriâ teneas, aut prę oculis habeas, accipe vulgares in re iſtâ dictiones, P*urpurea*, *Amabimus*, *Iliace*, *Edentuli*; quarum ſingulæ continent quatuor vocales, quibus indicantur propoſitiones quatuor hoc ordine: prima de *Poſſibili*, ſecunda de *Contingenti*, tertia de *Impoſſibili*, quarta de *Neceſſe*.

167 Harum affirmatio, & negatio diſponi debent juxta valorem vocalium, indicatum ſequenti verſiculo. *E Dictum negat*, *I que Modum: nihil A*; *ſed U totum*. Id eſt, vocalis *E.* denotat propoſitionem negativam de ſolo Dicto: vocalis *I.*, negativam de ſolo Modo: vocalis *A.*, undiquè affirmativam: vocalis *U.*, undiquè negativam, ſcilicet de Dicto, & Modo: Propoſitiones ita for-

ma-

matæ in unaquâque dictione, ſunt æquipollentes inter ſe.

168 Quodſi dictiones invicem comparentur, propoſitiones formatæ in *Purpurea*, ſunt contradictoriȩ formatis in *Edentuli*; ſicut etiam formatæ in *Iliace*, contradicunt formatis in *Amabimus*. At inter formatas in *Purpurea*, & *Iliace*, datur oppoſitio contraria: inter formatas in *Amabimus*, & *Edentuli*, oppoſitio ſubcontraria: ac demùm oppoſitio ſubalterna inter *Purpurea*, & *Amabimus*, nec non inter *Iliace*, & *Edentuli*.

Hæc omnia ſub aſpectum ponit ſubjecta de more tabella.

Æquipollentes.		Æquipollentes.
Pur--Nõ eſt poſsibile Petrũ nõ loqui.		I-- Non eſt poſsibile Petrum loqui.
Pu -Nõ eſt cõtingens Petrũ non loqui.	Contrariæ.	Li-- Non eſt cõtingẽs Petrum loqui.
Re--Impoſsibile eſt Petrũ nõ loqui.		A-- Impoſsibile eſt Petrum loqui.
A-- Neceſſe eſt Petrum loqui.		Ce--Neceſſe eſt Petrum non loqui.



Æquipollentes.		Æquipollentes.
A--- Poſsibile eſt Petrum loqui.		E-- Poſsibile eſt Petrum non loqui.
Ma--Contingens eſt Petrum loqui.	Subcontrariæ.	Den--Contingens eſt Petrum non loqui.
Bi-Nõ eſt impoſsibile Petrum loqui.		Tu-- Nõ eſt impoſsibile Petrũ nõ loqui.
Mus--Nõ eſt neceſſe Petrũ non loqui.		Li- Non eſt neceſſe Petrum loqui.

Sed

169 Sed obſerva, ſolas Modales de Dicto ſingulari in hac tabellâ deſcribi. Poterit tamen ſimilis alia formari pro Modalibus de Dicto communi, ſi retineatur eadem contrapoſitio Dictionum, cum eodem ordine Modorum, ac negationum, & in ſolâ quantitate Dicti variatio fiat juxta regulas ſequentes.

170 Prima regula pro æquipollentiâ. In unaquaque Dictione propoſitio de *Neceſſe*, ut reliquis ejuſdem Dictionis ęquipolleat, debet conſtare Dicto univerſali, ſi in reliquis ſit particulare, & vice verſâ. Exemplo ſint in *Purpurea* Modales iſtæ: 1. *Non eſt poſſibile nullum hominem loqui*: 2. *Non eſt contingens nullum hominem loqui*: 3. *Impoſſibile eſt nullum hominem loqui*: 4. *Neceſſe eſt aliquem hominem loqui*. Sed ſi in quartâ diceretur, *omnem hominem loqui*, dicendum eſſet in tribus pręcedentibus, *aliquem hominem non loqui*. Idem eſto de formatis in *Amabimus*, *Illiace*, *Edentuli*.

171 Secunda regula pro Oppoſitione. Modales contradictoriæ (formatæ ſcilicet juxta ſitum Dictionum ſuperioris tabellæ) retineant eamdem Dicti quantitatem. Contrarię verò, Subcontrariæ, & Subalternæ differant inter ſe in univerſalitate, & particularitate Dicti, ſervatâ ſemper diſtributione Modorum, & poſiturâ Dictionum, prout cernitur in Tabellâ deſcriptâ nuper.

172 V. g. ſi prima in *Purpurea* formetur ſic, *Non eſt poſſibile aliquem hominem non loqui*,

prima in *Edentuli* retineat idem Dictum particulare; ſed prima in *Iliace*, & prima in *Amabimus*, mutent illud in univerſale, nempe in hoc, *omnem hominem loqui*: quodſi ab initio fuerit univerſale, mutent illud in particulare. Idem fiat in reliquis.

Converſio Modalium.

173 MISSA Converſione Modalium penès terminos principales, nempe Dictum, & Modum, quæ nullius eſt negotij, (ſive enim dicas, *Neceſſe eſt Deum eſſe*, ſive *Deum eſſe neceſſe eſt*, nihil intereſt): explicanda nunc eſt Converſio Modalium penès ſubjectum, & prædicatum ſolius Dicti, præſertim communis. Eam porrò duplex hęc regula, ex Ariſtotele deſumpta complectitur.

174 Prima: Modales de Modo affirmato convertuntur eodem pacto, quo Propoſitiones abſolutæ, ſeu *de ineſſe*: id eſt, earum Dictum, dum eſt univerſale negativum, aut particulare affirmativum, convertitur ſimpliciter, juxta illud, *Simpliciter feci*: & dum eſt univerſale affirmativum, aut etiam negativum, convertitur per accidens, juxta illud *Eva per accid.*: de quo vide ſuprà cap. 4. Omittitur Converſio per contrapoſitionem, ut obſcura nimis, & parùm utilis.

175 Dicuntur autem Propoſitiones de Modo affirmato, quæ fiunt per *Neceſſe*, *Poſsibile*, aut *Contingens*, nullâ negatione additâ Modis ipſis. *Impoſsibile* Modus eſt ex ſe negatus, aut negativus: idem quippè valet, ac *Non poſsibile*. Quare non comprehenditur hac regulâ.

Con-

176 Converſionis iſtius exempla ſunto: *Poſſibile eſt nullum hominem eſſe album*, *ergo* Poſſibile *eſt nullum album eſſe hominem*, vel etiam, *Aliquod album non eſſe hominem. Neceſſe eſt omnem hominem eſſe animal, ergo neceſſe eſt aliquod animal eſſe hominem.* Sed *objic.*: Modalis hæc, *Neceſſe eſt omne grammaticum eſſe hominem*, malè convertitur ſic, ergo *Neceſſe eſt aliquem hominem eſſe grammaticum*, cùm prior ſit vera, & poſterior falſa.

177 *Reſp.*: Converſio recta erit, dummodò ſuppoſitio termini *grammaticum* eadem ſit utrobique, ſcilicet naturalis. Vide ſupra n. 73. Generatim cavenda eſt mutatio ſuppoſitionis, alienationis, &c. Hinc enim claudicat converſio hęc, *Poſſibile eſt Deum non creare*, ergo *Poſſibile eſt aliquod creans non eſſe Deum*; ut etiam iſta, *Poſſibile eſt nullum corpus eſſe album*, ergo *Poſſibile eſt aliquod album non eſſe corpus*: quia ſcilicet in convertentibus proceditur ex ſuppoſitione, quòd detur creatio, & albedo in ſubjecto; quæ ſuppoſitio excluditur in converſis.

178 *Secunda regula.* Modales de Modo negato (quæ ſcilicet conſtat Modis *Impoſſibile*, *Non poſſibile*, *Non contingens*, *Non neceſſe*) in Converſione pendent à ſuis æquipollentibus de Modo affirmato. Explicatur. Omnis propoſitio, in qua negatur Modus, habet aliquam æquipollentem de *Neceſſario*, aut *Poſſibili* affirmato: quatuor enim

Dictiones, ſuperiùs in tabellâ deſcriptę, ſic conſtitutæ ſunt, ut, ſi tres priores vocales denotent Modum negatum, quarta denotet Modum affirmatum, & è converſo.

179 Propoſitio ergo de Modo negato non poterit converti, quoties ejus æquipollens de Modo affirmato converti nequit: ſi autem hęc admittat converſionem, admittet pariter illa altera, converteturque in propoſitionem, quæ æquipolleat convertenti ſuæ æquipollentiæ.

180 Ex. c. Datâ propoſitione, *Non neceſſe eſt omne animal eſſe hominem* (quæ eſt in Dictione *Edentuli*), ſi quęras æquipollentem in eadem Dictione, invenies hanc, *Poſſibile eſt aliquod animal non eſſe hominem.* Hęc autem converti nequit, utpotè conſtans Dicto particulari negativo, cui ſola reſpondet converſio *per contrapoſitionem*, quæ (licèt recto ſenſu fieri poſsit) omittitur in pręſenti. Negabis ergo, datam propoſitionem eſſe convertibilem: & generaliter id negabis, ubicumque Dictum univerſale affirmativum concurrit cum Modo negato: aliàs enim ſequeretur ex Antecedenti vero Conſequens falſum; ut ſi ita inferas, *Non neceſſe eſt omne animal eſſe hominem*, *ergo Non neceſſe eſt aliquem hominem eſſe animal.*

181 At, ſi detur hæc, *Non neceſſe eſt nullum animal eſſe hominem* (quæ eſt in Dictione *Amabimus*), hanc ejus æquipollentem ibidem invenies, *Poſſibile eſt aliquod animal eſſe hominem*, quę

quę ex n. 174. poteſt converti ſimpliciter in iſtam; ergo *Poſsibile eſt aliquem hominem eſſe animal.* Iſtius æquipollens de *Neceſſe*, hæc eſt, *Non neceſſe eſt nullum hominem eſſe animal.* In hanc ergo convertatur data propoſitio : & generaliter Dictum univerſale negativum concurrens cum Modo negato convertitur ſimpliciter. Mitto alia exempla, quæ ex eâdem regulâ facilè quiſque inveniet.

De Contingenti propriè accepto nonnihil.

182 Contingens, propriè acceptum, ſignificat id, quod indifferentèr poteſt modò eſſe, modò non eſſe. Unde hæc propoſitio, *Contingens eſt Petrum loqui*, eſt virtualiter copulativa, exponiturque per hanc copulativam formalem, *Poſsibile eſt Petrum loqui, & Poſsibile eſt Petrum non loqui*: vel, quæ huic æquipollet, *Non neceſſe eſt Petrum loqui, nec neceſſe eſt Petrum non loqui.* Quare nulla Modalis ſimplex reperitur in ſuperiori tabellâ, quæ ſola æquipolleat propoſitioni de *Contingenti.*

183 Quòdſi detur Modalis de *Contingenti* negato, v. g. *Non contingens eſt Petrum eſſe hominem*, debet exponi disjunctivè ſic, *Non poſsibile eſt Petrum eſſe hominem, vel Non poſsibile eſt Petrum non eſſe hominem*; aut etiam per ęquipollentem de *Neceſſe*, vel *Neceſſe non.*

184 Quod attinet oppoſitionem, imprimis affirmatio, aut negatio ex parte Dicti ſingularis nihil refert. Hę quippè Modales, *Contingens eſt Petrum*

trum loqui, *Contingens eſt Petrum non loqui*; neutiquàm opponuntur; ſed potiùs altera infertur ex alterâ, exponunturque pari modo. Deinde inter *Contingens*, *&* *Non contingens* cum eodem Dicto, datur oppoſitio *formalis* contradictoria. Ac demùm omne genus oppoſitionis *de lege* formari poterit, ſi recurratur ad Exponentes.

ADVERTENDA QUÆDAM.

185 AD extremum, circa Modales in univerſum advertendum eſt, poſſe ipſis ineſſe ſenſum compoſitum, & diviſum, tum ex parte Dicti, tum ex parte Modi: qua de causâ Modalis dividi ſolet in *Compoſitam*, & *Diviſam*. Ex parte Dicti fit ſenſus compoſitus, cùm oſtenditur, prædicatum Dicti convenire ſubjecto pro formali: cùm autem ſignificatur convenire ſubjecto pro materiali duntaxàt, fit ſenſus diviſus.

186 Poteſt Modalis vera eſſe in uno ſenſu, & falſa in alio: hæc enim, *Poſſibile eſt ſedentem currere*, vera eſt in ſenſu diviſo, dum ſcilicet ſignificat, eum, qui ſedet, poſſe diviſim à ſeſsione currere: falſa tamen in ſenſu compoſito, ſi nimirùm denotet, poſſe curſum cum ſeſsione conjungi.

187 Jam verò ex parte Modi fit ſenſus diviſus, quando Modus ſingillatim conjungitur cum ſingulis inferioribus contentis ſub Dicto communi; quando autem cum omnibus ſimul, fit ſenſus compoſitus. Hęc v. g., *Impoſſibile eſt*, *omne animal eſſe rationale*, vera eſt in ſenſu compoſito ex par-

parte Modi, quia ſic exponitur, *Et Brutum eſſe rationale, & Hominem eſſe rationalem, impoſſibile eſt*; quo ſignificatur, fieri non poſſe, ut rationale conveniat ſimul homini, & bruto. At in ſenſu diviſo falſa eſt, quia ſic explicatur, *Et Brutum eſſe rationale eſt impoſſibile, & Hominem eſſe rationalem eſt impoſſibile*; quæ copulativa falſificatur ratione ſecundæ partis.

188 Advertendum inſupèr, Modalem poſſe reduci ad ſuam *Officiantem*, ut ajunt: id eſt, ad propoſitionem abſolutam, in qua Modus reflexè prædicetur de propoſitione incluſâ in Dicto. Ex. g. hujus Modalis, *Deum exiſtere neceſſe eſt*, hęc dicitur Officians, *Propoſitio iſta, Deus exiſtit, eſt neceſſaria*: hujus verò, *Deum mentiri eſt impoſſibile*, en Officiantem, *Hoc dictum, Deus mentitur, eſt propoſitio impoſſibilis.*

189 Quidquid alij dicant, omnis propoſitio Modalis, ſeu *compoſita*, ſeu *diviſa* ex parte Dicti, poteſt immediatè reduci ad officiantem, dum modò in hac ſervetur idem ſenſus. Valet item conſequentia mutua inter Modalem, & Officiantem. Idem cenſendum de Modali *compoſita* ex parte Modi; imò & de *diviſâ* plerùmque, ſaltem ſi excipias Modalem de contingenti propriè ſumpto.

190 Sed jam ſatis multa de Modalibus; in quibus fortè modum exceſsimus; licèt quædam conſultò omiſerimus, nè præceptionum moles teneras mentes obrueret.

DIS-

Digitized by Google

DISPUTATIO VI.

DE ARGUMENTATIONE, ET PRÆCIPUE de Syllogiſmo.

PERVENIMUS ad artefactum logicum, quod tertiæ Intellectûs operationis proprium eſt: ad Diſcurſum ſcilicet, quem intellectus efficit, quoties ab uno, vel pluribus judicijs per ſe movetur ad aliud inferendum. Progreſsio iſta generali nomine dicitur *Diſcurſus*, *Ratiocinatio*, *Argumentatio*, id eſt, *Argumenti explicatio*, ſive applicatio. Hujus princeps ſpecies Syllogiſmus eſt, cujus hic artificium potiſsimè explicabimus.

CAP. I.

DE ARGUMENTATIONE, ET CONSEQUENTIÂ ejus in communi.

1 ARGUMENTATIO in genere ſatis aptè definiri poteſt, *Modus ſciendi, in quo ex argumento præjudicato concluditur aliquid.* In eâ reperiuntur *antecedens*, & *conſequens*, ſive *concluſio*, cum *illatione*, ſeu *conſequentiâ*, quę vocaliter denotatur particulâ *ergo*, vel *igitur*. Relegendum hic eſt Cap. 7. Diſp. 2., nè bis eadem dicere cogamur.

2 Conſequentia numquam dicitur vera, aut falſa, ſed bona, vel mala, legitima, vel notha: quare, ſi bona ſit, conceditur; ſi mala, negatur, etiamſi conſequens verum ſit: ſæpè enim contingit, ut conſe-

ſequens in ſe verum perperàm deducatur ex Antecedenti, ut ſi ita arguas, *Homo eſt vivens, ergo eſt animal*; ubi conceſſo, vel omiſſo Antecedenti, neganda eſt conſequentia, quin ideò conſequens cenſeatur negatum, ſed omiſſum. Sed quia plurimum refert, indolem conſequentiæ noſſe, nunc eam magis explicabimus.

Quotuplex ſit Conſequentia.

3 Conſequentia dividi poteſt in *bonam*, & *malàm*: quæ diviſio analoga eſt, aut ferè æquivoca: nam Conſequentia *mala*, re ipsâ nulla eſt, niſi apparentèr ut ſummùm. Tunc autem datur, quando Antecedens ineptum eſt, ut fidem faciat Conſequentis. Conſequentia *bona*, eſt *illatio fundata in connexione Antecedentis cum Conſequenti, quantum ad veritatem.* Connexio iſta reperitur, quoties Antecedens, vel abſolutè, vel ſaltem ex ſuppoſitione, aptum eſt ad faciendam fidem Conſequentis. Abſolutè, ut *Petrus eſt homo, ergo eſt animal*: ex ſuppoſitione, ut *Petrus volat, ergo habet alas*; nam qui ſemel ſupponit, aut pro vero admittit Antecedens, tenetur adhibere fidem Conſequenti.

4 Conſequentia bona, alia *formalis* eſt, alia *materialis.* Formalis eſt, *quæ vi formæ concludit*, id eſt, *quæ ſub eadem diſpoſitione terminorum legitimè concludit in omni materiâ.* Tales ſunt omnes conſequentiæ ſyllogiſmorum, de quibus poſtmodùm. Tales quoquè ſunt iſtæ: *Omnis homo*

eſt

eſt animal, *ergo aliquis homo eſt animal* : *Nullus homo eſt leo*, *ergo nullus leo eſt homo*: quia in omni materiâ rectè arguitur à Subalternante ad Subalternatam, & à Converſâ ad Convertentem, ſive materia *circa quam* ſit homo, ſive arbor, ſive lapis, ſive hircocervus : itemque ſive ſit neceſſaria, ſive contingens, ſive impoſsibilis.

5 Materialis Conſequentia eſt, *quæ vi ſolius materiæ concludit*, id eſt, *quæ*, *licèt valeat ratione materiæ circa quam verſatur*; *tamen ſub eâdem diſpoſitione terminorum non æquè valet in omni materiâ*. Undè hæc conſequentia materialis eſt, *Homo eſt animal*, *ergo omnis homo eſt animal*: quia, licèt indefinita inferat univerſalem in materiâ neceſſariâ, non ita in materiâ contingenti; malè quippè inferas, *Homo eſt Sacerdos*, *ergo omnis homo eſt Sacerdos*.

6 Universìm quotiès neceſſe eſt examinare indolem objecti, ut rectitudo illationis appareat, Conſequentia eſt materialis, ut hæc, *Petrus eſt homo*, *ergo eſt animal*: quod Conſequens non rectè inferri dixeris, niſi aliundè prænoveris, objectum vocis *homo* connecti cum objecto vocis *animal*. Quotiès verò inſpectâ ſolùm diſpoſitione terminorum formalium, quodcumque ipſis objectum ſignificetur, legitima apparet illatio, Conſequentia eſt formalis : & hæc ſemper eſt neceſſaria, & metaphyſicè indefectibilis.

7 At Conſequentia materialis, alia *proba-*

bi-

Digitized by Google

bilis eſt, alia *neceſſaria.* Probabilis dicitur, quæ fundamento nititur prudenti, ſeu plerùmque firmo, non tamen infallibili: ut *Agricola tempeſtivè ſerit, ergo fructum colliget.* Neceſſaria eſt, quæ argumento nititur infallibili. Hæc autem infallibilitas, ſeu neceſsitas poteſt eſſe triplex. 1. *metaphyſica*, quæ nullâ potentiâ fruſtrabilis eſt; ut *Eſt homo, ergo eſt animal.* 2. *phyſica*, ſeu *naturalis*, quæ ſolùm miraculosè deficere poteſt; ut *Exiſtit ignis, ergo eſt calidus.* 3. *moralis*, quæ, licèt humanitùs fallere poſsit, raro tamen, & difficillimè; ut, *Eſt Mater, ergo diligit filium non immeritum.*

PRO BONA CONSEQUENTIA REGULÆ quadam generales.

8 PRIMA regula: *Ex vero non ſequitur niſi verum: ex falſo verum, & falſum.* Prior pars conſtat: quia in omni bonâ conſequentiâ veritas Antecedentis connectitur cum veritate Conſequentis. Poſterior pars patet exemplo: nam ex hoc Antecedenti *Leo ridet*, ſequitur & hoc Conſequens verum, *ergo eſt animal*, & hoc falſum, *ergo eſt homo.* Imò & in ſyllogiſmo ex præmiſsis omninò falſis deduci poteſt Conſequens omninò verum: v. g. *Omnis lapis eſt animal; ſed omnis homo eſt lapis: ergo omnis homo eſt animal.*

9 Sed nota 1., quòd verum non ſequitur ex falſo abſolutè, nec ex falſo cognito ut falſo: quia falſum abſolutè non niſi falſam, adeòque nullam connexionem habet cum Conſequenti; & dum cognoſ-

noſcitur ut falſum, non ampliùs movet, aut fidem facit. Poterit quidem Conſequens eſſe verum ex alijs capitibus: at non ex meritis Antecedentis. Solùm ergo ſequitur verum ex falſo, quando falſum ſupponitur verum, aut pro vero admittitur.

10 Nota 2., quod cùm negamus, ex vero poſſe deduci falſum, loquimur de Conſequentiâ neceſſariâ juxta gradum neceſsitatis, ad quem pertinet. Et ſenſus eſt: quòd falſum ex vero ſequi non poteſt, impotentiâ, vel metaphyſica, vel naturali, vel morali, prout fuerit indoles Conſequentiæ.

11 Attamen ex vero, phyſicè, ſeu naturaliter connexo, ſequi poterit Conſequens miraculosè falſum: v. g. *Exiſtunt hic accidentia panis, ergo exiſtit ſubſtantia panis*; quod Conſequens, ſi ſermo ſit de Euchariſtiâ, falſum quidem eſt, ſed miraculosè, non naturaliter. Similiter ex vero ſolùm moraliter connexo poteſt phyſice concludi falſum.

12 Secunda regula: *Ex neceſſario non niſi neceſſarium: ex contingenti, vel contingens, vel neceſſarium, nunquam autem impoſsibile: ex impoſsibili ſequitur quodlibet, id eſt, tum neceſſarium, tum contingens, tum impoſsibile.* Regula continet tria membra. Ratio primi eſt; quia neceſſarium ſemper eſt verum, contingens poteſt eſſe falſum, & impoſsibile ſemper eſt falſum: ſi ergo ex neceſſario ſequeretur contingens, aut impoſsibile, fieri poſſet, ut ſequeretur ex vero falſum contra primam regulam.

Ra-

13 Ratio ſecundi eſt: quia nihil prohibet, contingens cum alio contingenti connecti, ut *Leo currit, ergo exiſtit*: nihil item prohibet, contingens connecti cum neceſſario, ſive ab eo pendere, dummodò connexio non ſit mutua, ut *Exiſtit creatura, ergo exiſtit Deus*: at ſi connecteretur cum impoſsibili, ſequeretur ex vero falſum.

14 Ratio tertij eſt: quia, licèt impoſsibile ſemper ſit falſum, tamen ex falſo tum verum, tum falſum deduci poteſt, ut vidimus in 1. regulâ. Sic ex hoc impoſsibili, *Leo rationale utitur*, ſequitur hoc neceſſarium, *ergo Leo eſt animal*, & hoc contingens, *ergo Leo exiſtit*, & hoc impoſsibile, *ergo Leo eſt homo.*

15 Tertia regula: *Ex oppoſito Conſequentis ſequitur oppoſitum Antecedentis; at ex oppoſito Antecedentis non ſemper ſequitur oppoſitum Conſequentis.* Ratio primi eſt: quia Antecedens omne connectitur cum Conſequenti; proindeque ſtare non poteſt, dum Conſequens deficit. Undè, ſi valet, *Eſt animal, ergo eſt vivens*; valere debet, *Non eſt vivens, ergo non eſt animal.*

16 Ratio ſecundi eſt: quia ſæpè connexio Antecedentis cum Conſequenti non eſt mutua, tuncque poteſt Conſequens aliunde ſubſiſtere, quàmvis deficiat Antecedens. Undè, licèt valeat, *Eſt animal, ergo eſt vivens*; non ideò valet; *Non eſt animal, ergo non eſt vivens.*

17 Ut tamen hæc regula firma ſit, debet in-

Digitized by Google

telligi de Conſequentiâ logicè, ſeu metaphyſicè neceſſariâ: nam ſi intelligatur etiam de neceſſariâ naturaliter, aut moraliter, fallere poterit. Sic benè infertur phyſiçè: *Accidentia exiſtunt, ergo non exiſtunt ſine ſubjecto*: & tamen ex oppoſito Conſequentis (ſcilicèt, *Accidentia exiſtunt ſine ſubjecto*) metaphyſicè ſequitur Antecedens ipſum: tantum abeſt, ut oppoſitum Antecedentis inferatur, ne phyſicè quidem.

18 Debet item intelligi de Oppoſito formaliter, & logicè in veritate. Ut ſenſus ſit: Quicumque pro verâ recipit propoſitionem Conſequenti oppoſitam in veritate, tenetur falſitatem Antecedentis confiteri, ſeu pro verâ recipere propoſitionem aliquam Antecedenti repugnantem; alioquin ex vero falſum deduci fatebitur contra primam regulam.

19 Ex eodem fonte profluit 4. regula: *Quidquid ſtat cum Antecedenti, ſtat cum Conſequenti; non tamen ſemper vice verſâ.* Senſus eſt: Quæcumque propoſitio vera ſimul eſt cum Antecedenti, pariter erit vera ſimul cum Conſequenti: alioqui, ſi deſtrueret veritatem Conſequentis, dum Antecedens permanet verum, ſequeretur ex vero falſum. At ex adverſo, quia ſequi poteſt verum ex falſo, nihil prohibet, quòd aliquid ſit verum ſimul cum Conſequenti, & tamen deſtruat Antecedentis veritatem. Exempla facilia ſunt.

20 His etiam cognata eſt 5. regula: *Ex quocum-*

Digitized by Google

cumque ſequitur Antecedens , ſequitur Conſequens. Et quidquid ſequitur ex Conſequenti , ſequitur ex Antecedenti. Exemplum primæ partis ſit. Benè ſequitur : *Eſt animal , ergo eſt vivens* : ex quocumque ergo ſequitur animal (v. g.ex homine , ex leone , ex equo) , ſequitur & vivens. Exemplum ſecundæ partis. Si ex animali ſequitur vivens , quidquid ex viventi ſequitur (v. g. corpus, ſubſtantia, ens) , pariter ex animali ſequatur neceſſe eſt.

21 Huic regulæ nititur argumentatio *Acervalis* , Græcè *Sorites* , quæ vulgò dicitur argumentatio de primo ad ultimum: v. g. *Si homo eſt, animal eſt : ſi animal , vivens : ſi vivens , corpus : ſi corpus, ſubſtantia : ergo ſi homo eſt, ſubſtantia eſt.* Ratio autem regulæ quantum ad utramque partem eſt : quia poterit alioqui ſubſequi falſum ex vero, ut examinanti conſtabit.

22 Sexta regula : *Ex affirmatione inferioris ſequitur affirmatio ſuperioris ; non tamen è contrario : at ex negatione ſuperioris ſequitur negatio inferioris , etſi non vice verſâ.* Nomine *ſuperioris, & inferioris* intellige terminos magis , & minùs, univerſales , indefinitè ſumptos , & ad idem Prædicamentum ſpectantes. Hinc rectè arguitur : *Eſt homo , ergo eſt animal* ; non tamen, *Eſt animal, ergo eſt homo* : rectè itidem: *Non eſt animal, ergo non eſt homo* ; non tamen , *Non eſt homo , ergo non eſt animal.* Ratio eſt : quia ſuperior pertinet ad eſſentiam inferioris ; non verò ad ſuperioris eſſentiam

inferior: undè ſuperior ſine inferiore ſtarè poteſt; ſed non è converſo.

23 Septima: *Ab actu ad potentiam valet conſequentia, non tamen ſemper è converſo.* Prior pars eſt per ſe nota. Nam quiſque novit, evidenter argui ſic: *Hoc exiſtit, ergo poteſt exiſtere: currit, ergo poteſt currere.* Poſterior pars etiam liquet: quia potentia non ſemper connectitur cum actu: unde non valet, *Deus poteſt Mundum deſtruere, ergo deſtruit.*

CAP. II.

QUOTUPLEX SIT ARGUMENTATIO.

24 SI propoſitionum indolem ſpectes, Argumentatio alia eſt *evidens*, alia *obſcura*, alia *certa*, alia *probabilis*: quos terminos alibi explicabimus. Si argumentum aſſumptum inſpicias, alia eſt argumentatio *à priori*, quando ſcilicet objectum Antecedentis, ſeu re ipsâ, ſeu ex noſtro modo concipiendi, eſt aliquatenùs cauſa, vel radix objecti Conſequentis: alia *à poſteriori*, quando ſcilicet ex effectu probatur cauſa, vel radix: alia *à concomitanti*, quando ſcilicet objecta Antecedentis, & Conſequentis intimè ſunt connexa, ſed alterum non eſt cauſa, nec effectus alterius.

25 Si demum conſideretur numerus, & diſpoſitio terminorum (quæ ſola conſideratio ad præſens attinet), ſex Argumentationis ſpecies communiter numerantur, *Enthymema*, *Dilemma*, *Inductio*, *Exemplum*, *Argumentum mirabile*, & *Syllogiſmus*.

En-

26 Enthymema eſt *Argumentatio, in qua ex una tantùm propoſitione deducitur alia.* Exempla hactenùs inuita dedimus. Nunc advertendum, quòd Enthymematis conſequentia non ſemper eſt materialis. Quoties enim immediatè arguitur à Converſâ ad Convertentem, à Subalternante ad Subalternatam, à Copulativâ ad Disjunctivam, & ab alijs ſimilibus arguendi Locis; datur Enthymema *vi formæ* concludens, ut ſatis oſtenditur in Summul. fuſiòr..

27 Plerùmque tamen Conſequentia Enthymematis eſt materialis; quando ſcilicet infertur in Conſequenti novus terminus, in Antecedenti non expreſſus, ut *Petrus eſt homo, ergo eſt animal*: tunc enim opus eſt examinare materiam, ſive objectum utriuſque termini, ut appareat bonitas illationis; quæ proinde ſolùm *ratione materiæ* bona erit. Hinc Enthymema vocatur ſyllogiſmus imperfectus, id eſt, truncatus, aut mutilus: quia deeſt illi propoſitio altera pręmiſſa, videlicet hæc in adducto exemplo, *Omnis homo eſt animal*; qua poſitâ concluderet quidem Argumentatio *vi formæ*, at non ut Enthymema, ſed ut Syllogiſmus.

28 Dilemma, quod etiam dicitur *argumentum bicorne*, ſive *cornutum*, eſt *Argumentatio disjunctiva utrimque feriens*, ſive *præcludens adverſario omnes evadendi vias*: ut ſi volens blaſphemum inſaniæ convincere, ſic arguas: *Vel credis eſſe Deum, vel non credis: ſi credis; ergo inſanus es,*

qui Deum, cui vindicta in promptu eſt, laceſſere audes: ſi non credis; ergo non minùs inſanus es, qui quod nemo ſanæ mentis ignorat, neſcire affectas.

29 Hoc genus Argumentationis, ut ſit efficax, proponere debet extrema non admittentia medium, ſed talia, ut alterutrum concedere ſit neceſſe: aliter adverſarius facilè vitabit utrumque cornu, & medio tutiſsimus ibit. Poterit etiam disjunctio verſari, non ſolùm inter duo, ſed inter tria, vel plura etiam extrema, tuncque vocabitur Trilemma, vel Polylemma.

30 Inductio eſt *Argumentatio à ſingularibus ſufficienter enumeratis ad univerſale diſtributum.* Inductio recurrit cum Aſcenſu Copulativo, de quo ſupra diſp. 4. Poteſt autem fieri, tum *incompletè*, id eſt, non enumeratis omnibus individuis, ſed aliquibus: atque ita nihil concludit in materiâ contingenti; benè tamen in materiâ neceſſariâ per conſequentiam materialem. Tum *completè*, id eſt, recenſitis omnibus inferioribus: id quod fieri poterit nominatim, ſi pauca ſint, ut Planetę, vel Elementa: ſin multa, vel infinita; tunc, recenſitis paucis, reliqua generali clauſulâ comprehendantur: v. g. *Hic cygnus eſt albus, & ille eſt albus, & ſic de cæteris* (vel, *& eadem in cæteris eſt ratio*); *ergo omnis cygnus eſt albus.*

31 Exemplum eſt *Argumentatio, in qua ex aliquo ſingulari aliud ſingulare deducitur propter aliquam ſimilitudinem.* Nomine *ſingularium* hîc in-

intelliguntur ea, quorum alterum non eſt altero logicè ſuperius, aut inferiùs. Undè per Exemplum arguitur ſæpè ab uno Genere ad aliud, vel ab unâ ad aliam Speciem, vel etiam à multis ad multa ſingularia, ut, *Deus Ninivitis pœnitentiam agentibus pepercit, ergo & vobis parcet, ſi pœnitentiam egeritis.* Huic affinis eſt argumentatio *à pari*, ſive *à paritate.* Sed, ut hujuſmodi argumentatio ſit valida, probandum eſt, eandem rationem utrobiquè militare.

32 Argumentum *mirabile* fit, cùm deducitur Conſequens Antecedenti contradictorium, vel Contrarium: ut ſi Calviniſtam aſſerentem, peccatum ab hominibus non liberè, ſed neceſſariò committi, hoc modo redarguas: *Omnis homo neceſſariò peccat, ergo numquam peccat*: quod Conſequens optimè deductum eſt, facilèque probabitur ex eo, quòd peccatum prorsùs inevitabile nequit eſſe peccatum. His addi poteſt *Sorites*; quam ſpeciem Argumentationis notavimus num. 21.

33 Denique præcipua Argumentationis ſpecies dicitur *Syllogiſmus* græcè, latinè *Ratiocinatio.* Definitur ab Ariſtotele, *Oratio, in qua quibuſdam poſitis aliud quiddam ab his, quæ poſita ſunt, ex neceſſitate accidit, eo quod hæc ſunt.* Cujus definitionis ſenſus, prout communiter ab Interpretibus exponitur, clariùs exprimitur his verbis: *Argumentatio, in qua ex duabus enuntiationibus ſimplicibus, eo quòd certâ ſint formâ diſpoſitæ,*

tertia neceſſariò ſequitur. Ubi nota, Syllogiſmum dumtaxat *cathegoricum*, ſive *abſolutum*, definiri nunc ad mentem Ariſtotelis: nam *hypotheticus* inferiùs explicabitur.

34 Syllogiſmus igitur Antecedentis loco duas exigit enuntiationes ſimplices, quæ vocantur *Præmiſſæ*; & hoc ex capite differt ab Enthymemate, cujus Antecedens unica enuntiatio eſt; necnon ab Inductione, quę plerùmque exigit pluſquam duas: quodſi interdùm duabus contenta ſit inductio, per accidens erit, & ratione materiæ. Debent autem Præmiſſę in Syllogiſmo ſic diſponi, ut vi formæ ſequatur neceſſariò tertia enuntiatio, quæ dicitur *Concluſio*, *Complexio*, *Summa.*

35 Sequatur, inquam, *Neceſſariò*; non quia Concluſio in ſe nequeat eſſe merè probabilis, aut etiam falſa, ſicut Præmiſſæ; ſed quia Pręmiſſis poſitis, id eſt, ſemel conceſsis, nullatenùs poſſit repudiari Concluſio, idque *vi formæ.* Undè colliges, conſequentiam Syllogiſmi ſemper eſſe formalem, & ſummè neceſſariam: atque hinc diſcerni Syllogiſmum ab omni Argumentatione materialiter tantùm concludente.

36 Sed circa dicta in hoc Capite notandum eſt, Dilemma eſſe quaſi duplex Enthymema; Exemplum, & Argumentum Mirabile eſſe etiam Enthymemata quædam ex certis arguendi Locis petita; & Soritem eſſe quamdam Syllogiſmorum

tex-

Digitized by Google

texturam. Quare ſpecies Argumentationis, ratione formæ diſsidentes, reipsâ nullæ videntur eſſe præter Enthymema, Inductionem, & Syllogiſmum. Ex his verò Syllogiſmus, utpotè ſummum Logicæ artis opus, majorem à nobis exigit explicationem.

CAP. III.
DE MATERIA, ET FORMA, FIGURA, & Modo Syllogiſmi.

37 OMISSA materia *circa quam*, de qua nonnihil inferiùs, materia *ex qua* ſunt tres Enuntiationes, prima, & ſecunda, & Concluſio. In his reperiri debent tres tantummodò termini, quorum duo vocantur *Extrema*, alterum *Majus*, alterum *Minus*, & tertius appellatur *Terminus medius*, ſive *Medium*, aliàs *Argumentum*.

38 Porrò Medium nunquam in Concluſione reperitur, ſed ſiſtere debet in Præmiſsis, ita ut in altera conjungatur cum Extremo Majori, in alterâ cum Minori; ac demùm ambo Extrema inter ſe nectantur in Concluſione. Ab extremis nomen accipiunt Præmiſſę: nam quæ continet Extremum Majus, appellatur Præmiſſa *Major*, & apud veteres ſpecialiter *Propoſitio*: quæ verò continet Minus Extremum, dicitur Præmiſſa *Minor*, atque etiam *Aſſumptio*.

39 Rem oculis ſubjicio. Hic ſyllogiſmus, *Omne animal eſt vivens*; *ſed aliquis homo eſt animal*, *ergo aliquis homo eſt vivens*; tres tantùm habet

bet terminos, *animal*, *vivens*, *homo*. E quibus *animal* eſt Medium; quia bis emicat in præmiſsis, & non tranſit ad Concluſionem: *vivens* eſt Extremum Majus (à quo prima Enuntiatio vocatur Major); *homo* eſt Extremum Minus (à quo ſecunda Enuntiatio dicitur Minor); quia hi termini in Concluſione junguntur inter ſe, poſtquam Medium cum ſingulis junctum eſt in Prẹmiſsis.

40 Notandum hîc, quòd, cùm dicitur Syllogiſmus conſtare terminis dumtaxat tribus, ſermo eſt de terminis materialiter ſumptis; non verò formaliter prout ſubeunt munus ſubjecti, aut prædicati; ſic enim ſyllogiſmo adducto vox *animal* v. g. non foret unus terminus, ſed duplex, cùm ſemel ſubjectum ſit, ſemel prædicatum. Nec computanda eſt varietas quantitatis notata ſignis *Omnis*, *Aliquis*, &c.: quia in ordine ad Argumentationem non cenſetur variari terminus ex quantitate, niſi hẹc ſit major in Conſequenti, quàm in Antecedenti.

41 Forma ſyllogiſmi conſiſtit in triplici copulâ enuntiativâ, prout ita reſpiciente Medium, & Extrema, ut ex duabus Enuntiationibus tertia neceſſariò ſequatur, additâ etiam particulâ *Ergo*, quæ dicitur *copula rationalis*. Continet Forma ſyllogiſtica *Figuram*, & *Modum*, ſine quibus illegitima, & inutilis erit. Figura eſt *Extremorum cum Medio ad concludendum apta collocatio ſecundùm rationem ſubjecti, & prædicati*. Et quia collocatio, ſeu

ſeu combinatio hæc triplex eſſe poteſt, ideò Figura ſyllogiſtica triplex eſt.

42 Prima Figura eſt, quę ſubjicit Medium in Præmiſsâ Majore, & illud prædicat in Minore. Secunda, quæ Medium prædicat in utrâque Præmiſsâ. Tertia, quæ Medium in utrâque ſubjicit. Triplex eſt terminorum ſitus: nempè *infimus*, quo terminus tantùm ſubjicitur; *ſupremus*, quo tantùm prædicatur; & *medius*, quo in alterâ Præmiſsâ ſubjicitur, & prędicatur in alterâ. In primâ ergoFigura Medius terminus ſitum occupat medium, in ſecundâ ſupremum, in tertia infimum. Hæc ut memoria teneas, accipe vetuſtum verſiculum.

Sub, *præ*, prima: ſecunda bis *præ*: tertia bis *ſub*. Vel clariores hoſce.

Prima priùs ſubjicit Medium, deinde prædicat ipſum.

Altera bis dicit: bis tertia ſubjicit ipſum.

43 Figura quæque varios continet Modos. Eſt autem Modus in præſentiâ, *Præmiſſarum ad concludendum apta diſpoſitio ſecundum quantitatem, & qualitatem.* Nomine *qualitatis* intellige nunc affirmationem, & negationem. Tunc itaque ſyllogiſmus rectè formatus erit, cùm & figuram, & Modum habuerit idoneum. Hic v. g., *Omne animal eſt vivens, ſed omnis homo eſt animal, ergo omnis homo eſt vivens*; idcircò rectus eſt, quia ritu primæ Figurę priûs ſubjicit, dein prædicat Medium *homo*; & præterea, quia ſervat Modum

Bar-

Barbara (qui primus eſt primæ Figuræ), dum ita diſponit Pręmiſſas ſecundùm quantitatem, ut utraque ſit univerſalis ; ita quoque ſecundùm qualitatem , ut utraque ſit affirmativa.

44 Sed, quia diſpoſitio quantitatis , & qualitatis poteſt eſſe multiplex , ac varia , & nunc apta, nunc inepta ad concludendum; ſcire oportet, quotuplex ſit Modus utilis , atque etiam quandonam adſint Modi inutiles. Utiles ergo communiter à Dialecticis numerantur undeviginti, & carminibus hiſce notantur.

Barbara , Celarent , Darij , Ferio , Baralipton.
Celantes , Dabitis , Fapeſmo , Friſeſomorum.
Ceſare , Cameſtres , Feſtino , Baroco , Darapti,
Felapton , Diſamis , Datiſi , Bocardo , Feriſon.

45 Quorum myſterium ut noveris , *not.* 1.: unaquæque Dictio ſuum deſignat Modum ſyllogiſmi rite concludentis , cujus tres enuntiationes notantur tribus litteris vocalibus , exponendis juxta verſiculos , *Aſſerit A* , *negat E*. &c. , de quibus diſp. præc. Prima vocalis denotat Præmiſſam Majorem , ſecunda Minorem , tertia Concluſionem. *Not.* 2. : in Dictionibus *Baralipton* , & *Friſeſomorum* , nonniſi tres priores vocales computandę ſunt : nam reliquæ ſolius metri gratiâ ponuntur.

46 *Nota* 3. : novem priores Modi pertinent ad primam Figuram : quatuor ſequentes ad ſecundam : ſex reliqui ad tertiam. *Nota* 4. : ex novem Modis primæ Figuræ quatuor priores directè conclu-

cludunt; cæteri indirectè. Tunc concluditur *directè*, cùm extremum Majus in Concluſione pręedicatur; cum autem ſubjicitur, tunc concluditur *indirectè*.

47 Poſitis igitur his præmiſsis: *Omnis homo eſt animal*, *Aliquod rationale eſt homo*, quæ ſunt in primâ Figurâ; ſi ita concludas, *ergo aliquod rationale eſt animal*, directè concludis, quia Majus extremum *animal* in Concluſione prædicas: ideoque efficis ſyllogiſmum in *Darij*: ſi autem ita inferas, *Ergo aliquod animal eſt rationale*, concludis indirectè, quia ſubjicis in Concluſione idem Majus extremum *animal*; & idcircò ſyllogiſmum efficis in *Dabitis*. Quo eodem exemplo ſimul vides iſtarum Dictionum vocalibus *A*, *I*, *I*, reſpondere tres enuntiationes affirmativas, primam univerſalem, reliquas particulares.

48 Quòd ſi de ſimili valore vocalium exemplum petas in ſecundâ Figurâ, quæ medium bis prædicat, accipe: *Nullus lapis eſt animal*, *ſed omnis homo eſt animal*, *ergo nullus homo eſt lapis*: qui ſyllogiſmus eſt in *Ceſare*, cujus vocales *E*, *A*, *E*, denotant tres enuntiationes univerſales, primam, & tertiam negativas, & ſecundam affirmativam.

49 En item exemplum tertiæ Figuræ, quæ Medium bis ſubjicit: *Nullus homo eſt leo*, *ſed aliquis homo eſt animal*, *ergo aliquod animal non eſt leo*: qui ſyllogiſmus, cùm habeat Majorem univerſa-

ſalem negativam, Minorem particularem affirmantem, & Concluſionem particularem negantem, ſpectat ad modum *Feriſon*; juxta valorem vocalium, *E*, *I*, *O*. Pari ratione facilè cuique erit ſyllogiſmos in reliquis Modis efformare, dum tamen meminerit, qui Modi cujuſque Figuræ ſint proprij.

CIRCA FIGURAS, ET MODOS DUBITATIOnes aliquæ reſolvuntur.

50 DUbit. 1.: quodnam Extremum in ſyllogiſmo ſit Majus? quodnam Minus? Diximus n. 38., Pręmiſſas denominari Majorem, & Minorem ab Extremis. Quàmvis enim inter diſputandum vocari ſoleat Major, quæ priùs profertur; Minor verò, quę poſteriùs; quia ſcilicet iſtarum denominationum radicem tunc examinare nec vacat, nec intereſt: re verâ tamen, non à mero prolationis ordine, ſed ab Extremis nomina hæc in Pręmiſſas derivantur: nec aliter ſtare poteſt doctrina communis circa Figuras, & Modos Ariſtotelicos; ut in Summul. fuſior. oſtendimus.

51 E duobus autem extremis illud eſt Majus, quod prædicatione præcellit, id eſt, quod vel unicè, vel magis prædicatur in Syllogiſmo; alterum verò eſt Minus. Ita colligitur ex Ariſtotele 1. Prior. c. 4. 5. & 6.. Nec immeritò: quia, ſicut ſubjecti conditio eſt ſubeſſe, ita prædicati munus eſt præeſſe, quo majoritas quædam importatur.

52 Hinc inferes, in Modis directis primæ Fi-

Figuræ, ut cùm in *Darij* ſic arguis, *Omnis homo eſt animal, ſed* Petrus *eſt homo, ergo Petrus eſt animal*, Majus Extremum eſſe *animal*, quia bis prędicatur; P*etrus* autem nec ſemel. Pariter in Modis indirectis (ut ſi ex eiſdem Pręmiſsis in *Dabitis* inferas, *ergo aliquod animal eſt* Petrus), Majus Extremum erit *animal*; quia, licet non prædicetur pluriès, quàm P*etrus*, tamen prędicatur priùs, & quidem non per accidens, ſed per ſe, ac de jure; quæ prioritas eſt quædam præcellentia prędicationis.

53 In ſecundâ Figurâ Majus Extremum eſt, quod ſemel prędicatur, ſcilicet in Concluſione; Minus verò, quod nullibi prædicatur. In tertiâ demùm eſt Majus, quod bis prędicatur in toto ſyllogiſmo; & Minus, quod ſemel tantùm. Ubi obſerva, quod in ſecundâ, & tertiâ Figurâ, denominatio Majoris, aut Minoris, ſuſpenſa eſt, nec plenè refunditur, donec inferatur Concluſio: quia eſt denominatio partim extrinſeca Pręmiſsis, & Extremis, pendens ſcilicet ab eorum munere in Concluſione obeundo.

54 Quapropter ex his Præmiſsis ſecundæ Figuræ, *Nullus lapis eſt animal, Omnis homo eſt animal*, nulla determinatè eſt Major, aut Minor, donec inferatur Concluſio altera ex duabus inibi præcontentis: poteſt enim inferri hæc, *ergo nullus homo eſt lapis*; tuncque Syllogiſmus erit in *Ceſare*, & prima Præmiſſa erit Major, ſecunda Mi-

nor:

nor: poteſt item inferri hæc altera, *Ergo nullus lapis eſt homo*; tuncque Syllogiſmus erit in *Cameſtres*, & ſecunda Præmiſſa erit Major, prima verò Minor, quin obſtet accidentarius ordo prolationis. Idem cernere licet in Modis *Diſamis*, & *Datiſi* tertię Figuræ.

55 *Dubit.* 2.: an ſit admittenda quarta Figura ſyllogiſtica (quam Galeno tribuit Averroes, ideòque Galenicam vocant)? Illa ſcilicet, quę Medium prędicet in Majore, & in Minore ſubjiciat; cujus ſpecimen exhibet hic ſyllogiſmus: *Omnis homo eſt animal, Omne animal eſt vivens, ergo aliquod vivens eſt homo.* Qui ſyllogiſmus certè non eſt in ſecundâ, nec in tertiâ Figurâ; nec aliundè pertinere videtur ad primam; ſiquidem non priùs ſubjicit, dein prędicat Medium, ſed è converſo.

56. Nihilominùs Figura quarta rejicitur communiter à Dialecticis; ſed inconſequenter ab ijs, qui Majorem ſemper eſſe volunt Præmiſſam, quæ primò profertur: hi quippe Syllogiſmum illum nullâ ratione poterunt adſcribere primæ Figuræ. Nos facilè primę Figuræ adſcribimus ipſum ex dictis *ad* 1. *dubit.*. Eſt etenim formatus in modo *Baralipton*: & ejus prima Pręmiſſa eſt Minor, ſecunda Major. Undè conſequenter quartam rejicimus Figuram.

57. Ratio: quia nunquam fieri poteſt, ut Medium prædicetur in Majore, & in Minore ſubjicia-

ciatur: quoties enim Medium in medio ſitu eſt (de ſubjectione ſcilicet, & prædicatione participans), utcùmque tranſponantur Præmiſſæ, ſemper eſt Major, quæ Medium ſubjicit, cùm contineat eo ipſo Majus Extremum; altera verò ſemper Minor eſt. Quare ſemper in primâ ſumus Figurâ, quæ Medium *prius ſubjicit, dein prædicat*: ſubjicit, inquam, *priùs*, non quidem prioritate temporis, aut prolationis (quæ valde materialis eſt, & Syllogiſmi ſenſum nihil variat), ſed prioritate dignitatis, quatenùs ſubjicit in eâ Premiſsâ, quę dignior, & Major eſt.

58 *Dubit.* 3.: utrùm Modi ſecundæ, & tertię Figuræ poſsint concludere indirectè? *Reſp.*: Conſequenter ad noſtra principia non poſſunt. Ratio: quia in præſenti nihil aliud eſt concludere indirectè, quàm prædicari in Concluſione Minus extremum: at hoc accidere non poteſt in ſecundâ, & tertiâ figurâ; quandoquidem in his Figuris Minus extremum ſemper eſt, quod in Concluſione ſubjicitur, & Majus, quod prędicatur: unde quodcumque extremum prædicetur in Concluſione, eo ipſo deſinit eſſe Minus, & fit Majus, ac proinde Concluſio nunquam evadit indirecta.

59 Sed quidquid ſit de voce *indirectè*, quæri poteſt, utrùm in ſecundâ, & tertiâ Figurâ poſsit alterutrum extremum indifferenter in Concluſione prædicari? *Reſp.* 1.. In ſecundâ Figura, poſitis Præmiſsis univerſalibus, alterâ affirmativâ, & al-

terâ negativâ, promiſcuè prædicari valet in Conclusione quodlibet extremum; ſic tamen, ut varietas hæc importet varietatem Modorum. Exemplum habes ſuprà n. 54.

60 *Reſp.* 2. In tertiâ Figurâ licebit pariter id ipſum, poſitis Præmiſsis affirmativis, alterâ univerſali, & alterâ particulari, ita ut Modorum etiam varietas inducatur. Quare ex his Premiſsis, *Omnis homo eſt vivens*, *Aliquis homo eſt rationalis*, poteris, vel concludere ſic, *Ergo aliquod rationale eſt vivens*, eritque Syllogiſmus in *Datiſi*: vel etiam ſic, *Ergo aliquod vivens eſt rationale*, faciesque Syllogiſmum in *Diſamis*.

61 *Reſp.* 3. In reliquis Modis ſecundæ, & tertiæ Figuræ non licet vi Formę promiſcua prædicatio extremorum in Concluſione. Pro his itaque Modis hoc obſervandum: quòd in ſecundâ Figurâ Concluſio prædicare debet extremum contentum in Præmiſsâ univerſali, quæ proinde ſemper eſt Major: in tertiâ verò, Extremum contentum in Præmiſsâ negativâ, quæ Major ſemper erit.

62 Denique regula generalis eſto: Quoties Concluſio poteſt converti *ſimpliciter*, aut *per accidens*, licebit inferre vel Converſam, vel Convertentem, alterutrum Extremum prædicando in omni Figurâ.

63 *Dubit.* 4.: an, pręter Modos n. 44. recenſitos, ſuperſint alij ad concludendum utiles? Super hoc dubio vide Summul. fuſior. *Dubit.* 5.: quot ſint Modi ad concludendum inutiles? *Reſp.*

Ad

Digitized by Google

Ad triginta quatuor numerari poſſunt; quos tamen hic recenſere nec eſt neceſſe, nec vacat. Eos, ubi occurrerint, facilè diſcernes ex regulis cap. ſeq. tradendis; atque etiam ex diſcrepantiâ à Modis utilibus hucuſque recenſitis.

CAP. IV.

DE PRINCIPIIS, AC REGULIS, QUIBUS nititur vis ſyllogiſtica.

64 SYLLOGISTICA vis, & efficacitas in concludendo, juxta Ariſtotelem 1. Prior. cap. 1., nititur duobus hiſce principijs: *Dici de omni*, & *Dici de nullo*. Primum regulat ſyllogiſmos affirmativè concludentes; & ſenſus illius eſt: *Quidquid verè affirmatur de ſubjecto diſtributivè ſumpto, paritèr affirmari debet de ſingulis ſub eo contentis, aut de quibus tale ſubjectum affirmatur*. Secundum regulat ſyllogiſmos negativè concludentes; & ita exponitur: *Quidquid verè negatur de ſubjecto diſtributivè ſumpto, negandum pariter de ſingulis ſub eo contentis, aut de quibus affirmatur ſubjectum ipſum*.

65 Quòd igitur aptè concludat hic ſyllogiſmus in *Barbara* v. g., *Omne animal eſt vivens, Omnis homo eſt animal, ergo omnis homo eſt vivens*; ſic demonſtratur: Vivens verè affirmatur de animali diſtributo, ut in Majore concedis; ſub animali continetur omnis homo, ut fateris in Minore: ſupereſt igitur, ut in Concluſione ve-

rè affirmetur vivens de omni homine, ſi valet illud; *Dici de omni.*

66 Similiter demonſtratur efficacitas hujus in *Celarent* Syllogiſmi: *Nulla arbor eſt animal, Omnis Palma eſt arbor, ergo nulla Palma eſt animal*: nam, ſi animal, ut in Præmiſsis conceſſum eſt, verè negatur de omni arbore, ſub qua continetur omnis Palma, de hac etiam verè negabitur, niſi ruat illud, *Dici de nullo.*

67 His Principijs regulantur immediatè quatuor priores Modi primę Figurę: mediatè verò cęteri omnes, quatenùs ad quatuor illos reduci poſſunt ex dicendis cap. ſequent. Sed nota, per ea Principia regulari quoquè Syllogiſmos, quorum Pręmiſſę ſunt ęquales in latitudine ſubjecti: v. g. *Omne animal eſt vivens, Omne ſenſitivum eſt animal, ergo omne ſenſitivum eſt vivens.* Quamvis enim ſenſitivum non contineatur ſub animali tamquam inferius, ſed cum eo reciprocetur; verè tamen de omni ſenſitivo affirmatur animal; quod ſat eſt, ut in eo valeant illa Principia, prout à nobis expoſita.

68 Si quęras, an etiam per eadem reguletur Syllogiſmus Expoſitorius? Sunt, qui negent; eo quòd Expoſitorius conſtet Medio ſingulari diſtributionis incapaci: illa autem Principia Medium exigunt diſtributum, ſeu diſtributivè acceptum. Pro regulandis igitur Syllogiſmis Expoſitorijs alia duo Principia ex Ariſtotele 7. *Topic. c.* 1. deſu-

Digitized by Google

ſumunt , videlicet : *Quæ ſunt eadem uni tertio, ſunt eadem inter ſe* : *Quæ diſtinguuntur in tertio, diſtinguuntur inter ſe.* Primum ſuſtinet Syllogiſmos affirmativos , ſecundum negativos.

69 In hoc enim : *Petrus eſt ſapiens , hic homo eſt Petrus , ergo hic homo eſt ſapiens* ; idcircò benè concluditur identitas extremorum *hic homo,* & *ſapiens* , quia in Præmiſsis utrumque ponitur identificatum cum tertio *Petrus*. Similiter in hoc: *Cicero non eſt Cæſar , Tullius eſt Cicero , ergo Tullius non eſt Cæſar* ; ideò colligitur diſtinctio extremorum *Tullius* , & *Cæſar* , quia diſtinguuntur in tertio *Cicero* , id eſt , alterum identificatur cum tertio, alterum à tertio diſtinguitur ; quod eſt diſtingui *in tertio* : nam ſi neutrum cum tertio identificaretur , non eſſent diſtincta *in tertio* , ſed *à tertio*.

70 Immò plures hæc Principia extendunt ad Syllogiſmos etiam de Medio communi ; quos cenſent ideò rectè concludere identitatem,aut diſtinctionem Extremorum , quia hæc ſupponuntur in Pręmiſsis identificata uni tertio, nempè Medio, aut in eo diſtincta.

71 Utraque Principia non immeritò dixeris totidem polos Artis ſyllogiſticæ. Sed obſervare oportet , quòd etiam in Syllogiſmo Expoſitorio debet Medium quodammodò diſtribui , ſeu diſtributivè ſupponere , licèt ſit terminus ſingularis , diſtributione ſcilicèt , quam vocant *negati-*

vam, vi cujus accipiatur *Petrus* v. g. pro omni eo, quod non diſtinguitur à Petro ipſo; ita, ut hujus propoſitionis, *Petrus eſt ſapiens*, ſenſus ſit, *Quidquid non diſtinguitur à Petro*, vel *Quidquid eſt indiſtinctum à Petro*, *eſt ſapiens.*

72 Hujus diſtributionis defectu malè concludit hic ſyllogiſmus, licèt videatur Expoſitorius: *Deus eſt Pater*, *Filius eſt Deus*, *Ergo Filius eſt Pater*: quia non accipitur terminus *Deus* pro omni, quod non diſtinguitur à Deo. Si tamen Major exponeretur ſic, *Quidquid eſt Deus*, vel *Quidquid eſt indiſtinctum à Deo*, *eſt Pater*, falſa quidem eſſet; ſed tunc, poſitis Præmiſsis, legitima foret illatio.

73 Diſtributio iſtiuſmodi ſemper intelligitur, quàmvis non exprimatur, quoties Medium eſt terminus omninò ſingularis, ut re verâ eſt quicumque ſignificat ſingularitatem in rebus creatis. At in Divinis terminus *Deus* (& quivis alius entitatem Dei abſolutam ſignificans, ut *eſſentia*, ſeu *natura Divina*) ita eſt terminus ſingularis, ut in ordine ad Perſonas Trinitatis aliquatenùs conveniat cum termino communi (vide ſuprà Diſput. 3. n. 33.); ideòque debet expreſsè diſtribui modo dicto, ut in Medium ſyllogiſticum aſſumatur.

REGULÆ SYLLOGISMORUM GENERALES.

74 REgula 1.: *Syllogiſmus debet tribus tantùm conſtare terminis.* Ratio: quia Ars

Ars Syllogiſtica tota eſt in concludendâ identitate, vel diſtinctione duorum Extremorum ex eorumdem comparatione cum Medio: cui operi tres termini ſufficiunt. Tres, inquam, vel ſimplices, vel complexi, qui ſæpè multis dictionibus conſtant.

75 Si tamen dictio ſit excluſiva, aut exceptiva, non eſt idonea Syllogiſmo; quia non ſolùm terminos, ſed Præmiſſas multiplicat. Unde non valet: *Omne riſibile eſt animal, ſed omnis, & ſolus homo eſt riſibilis, Ergo omnis, & ſolus homo eſt animal*: quia Minor eſt æquivalenter duplex, altera affirmans, altera negans, ex Diſp. 5.

76 Debent autem ijdem termini invariati ſervari in toto ſyllogiſmo, retentis ijſdem proprietatibus ſuppoſitionis, ampliationis, appellationis, &c.; alitèr non erunt tres tantùm, ſed plures. Mutatio tamen ſuppoſitionis diſtributivæ in aliam inferiorem non obſtat; quia permittitur per ea Principia, *Dici de omni &c.*

77 Reg. 2.: *Medium ut tale numquam eſt in Concluſione*. Ratio: quia in Concluſione ponitur id, quod probari intenditur, nempe duarum Extremitatum identitas, vel diſtinctio. Dico, *Medium ut tale*: quia poterit Concluſionem ingredi, ſi munus etiam Extremi gerat aliquatenùs, ut, *Omnis homo eſt homo doctus, Petrus eſt homo, Ergo eſt homo doctus.*

78 Reg. 3.: *In alterâ ſaltem Præmiſsâ debet Medium completè diſtribui.* Ratio: quia ſic poſtulant Principia, quibus innititur vis ſyllogiſtica, ut conſtat ex nupèr dictis. Unde claudicat hic Syllogiſmus: *Omnis homo eſt animal, Omnis equus eſt animal, Ergo omnis equus eſt homo*: quia Medium *animal* nullibi diſtribuitur.

79 Fit autem diſtributio Medii, vel per ſignum *omnis*, aut nullus, cùm Medium ſubjicitur; vel per enuntiationem negativam, cùm Medium prædicatur, ut accidit in ſecundâ Figurâ: hæc enim v. g., *Lapis non eſt animal*, reddit hunc ſenſum, *Lapis non eſt ullum ex animalibus.* Dixi, *completè*: quia diſtributio incompleta non ſufficit, ut *Omne animal fuit in Arcâ Noé, Bucephalus eſt animal, Ergo fuit in Arcâ Noé.*

80 Reg. 4.: *Extremum non diſtributum in alterâ ſaltem Præmiſsâ, nequit in Concluſione diſtribui.* Undè malè argues: *Omnis homo eſt rationalis, Aliquod animal eſt homo, Ergo omne animal eſt rationale.* Ratio: quia in Concluſione ponitur major identitas, quàm quæ ſtatuitur in Præmiſsis.

81 Reg. 5.: *Ex puris particularibus* (idem puta de indefinitis in materiâ contingenti) *nihil ſequitur.* Ratio: quia ſi Medium ſit particulare non diſtribuitur. Regula tamen intelligenda eſt de Syllogiſmis abſolutis, ac de Medio communi: non enim tenet in hypotheticis, aut conſtantibus Medio ſingulari. Addenda item hæc exceptio: Niſi ter-

terminus particularis reſumatur cum relativo identitatis. V. g. *Aliquis homo eſt albus, ſed idem eſt miles, Ergo aliquis miles eſt albus*; qui ſyllogiſmus rectè concludit, quia Medium particulare vi relativi redditur æquivalens ſingulari.

82 Reg. 6.: *Ex puris negativis in ſyllogiſmo nihil ſequitur.* Ratio: quia Præmiſſæ purè negativæ nec identificant Extrema cum Medio, ſive tertio; nec diſtinguunt in tertio, ſed a tertio; nec regulantur per illud, *Dici de nullo*, ut ex ejus explicatione liquidum eſt. Sed hoc intellige, niſi Præmiſſæ negativæ tales ſint, ut ſenſu æquipolleant affirmativis ſervantibus Figuram, & Modum utilem: tùnc enim, ſi non ratione propriæ Formæ, ſaltem merito iſtius æquipollentiæ, poterunt aptè concludere.

83 Undè hic ſyllogiſmus, *Quod non eſt animal, non eſt homo, Nullus lapis eſt animal, Ergo nullus lapis eſt homo*, ideò benè concludit, quia Minor æquivalet huic, *Omnis lapis eſt non animal*, vel, *eſt id, quod non eſt animal*, concluditque in *Celarent*. Idem accidit in pluribus aliis, quos in Summul. fuſior. explicuimus.

84 Reg. 7.: *Concluſio ſequitur debiliorem partem.* Regula hæc admittenda nunc eſt quantùm ad quantitatem, & negationem, quidquid ſit de evidentiâ, certitudine, ſupernaturalitate, &c. Itaque in ſyllogiſmo categorico, ubi altera Præmiſſa univerſalis eſt, altera particularis, aut ſingularis; Con-

Digitized by Google

Concluſio particularis, aut ſingularis eſſe debet; ut etiam negativa, ſi altera ex Præmiſsis negativa ſit: quo pacto ſequetur partem debiliorem, ſive imperfectiorem; qualis cenſetur particularis comparatione univerſalis, & negans reſpectu affirmantis.

85 Ratio Regulæ ſic acceptæ eſt: quia ſyllogiſmus, cujus altera Præmiſſa eſt negativa, regulatur per illud, *Dici de nullo*, vel, *Quæ diſtinguuntur in tertio*, *&c.*; utrumque autem poſtulat, ut Concluſio alterum extremum de altero neget. Item, ubi altera Præmiſſa eſt particularis, nullus eſt modus utilis, qui Concluſionem inferat univerſalem, ut conſtat ex cap. præced.

86 Excipe tamen 1. ſyllogiſmum Expoſitorium, qui ex alterâ Præmiſsâ ſingulari, interdum concludit univerſalitèr: v. g. *Hic Rex Hiſpanorum eſt Philippus V.*; *ſed nullus Tartarus eſt Philippus V.*; *Ergo nullus Tartarus eſt hic Rex Hiſpanorum.* Excipe 2. ſyllogiſmos de Medio communi, quibus Major Extremitas eſt ſingularis, v. g. *Petrus eſt homo*, *ſed nullus leo eſt homo*, *ergò nullus leo eſt Petrus.* In his quippe re ipsâ urget Principium, *Dici de nullo.*

87 Sed adhuc contra Regulam objicies: hic ſyllogiſmus, *Omne animal eſt vivens*, *Aliquod animal non eſt homo*, *Ergò aliquid*, *quod non eſt homo*, *eſt vivens*, rectè concludit affirmativè ex alterâ Præmiſsâ negativâ. *Reſp.* Ideò concludit, quia Minor æquivalet huic affirmanti, *Aliquod animal*

eſt

eſt non homo, vi cujus pertinet ad Modum *Datiſi*.

88 Hic addi ſolent Regulæ ſingulis Figuris peculiares, ut: Quòd in Modis directis primæ Figuræ Major numquam eſt particularis, nec Minor negativa: Quòd in ſecundâ Figurâ nihil concluditur ex Majore particulari, nec ex puris affirmativis; & concluſio ſemper eſt negativa: Quòd in tertiâ Figurâ nihil ſequitur ex Minore negativâ; & Concluſio ſemper eſt particularis. Sed hæc omnia facilè percipiuntur ex Dictionibus poſitis cap. præc. num. 44.

CAP. V.

DE REDUCTIONE IMPERFECTORUM ſyllogiſmorum ad perfectos.

89 QUamquàm omnes Syllogiſmi cujuſque Figuræ neceſſariò, & vi Formæ concludant, ideòque debeant omnes hac ratione vocari perfecti; ſoli tamen quatuor priores Modi primæ Figuræ *perfecti* dicuntur ex capite claritatis: quia tantâ perſpicuitate, & evidentiâ concludunt, ut ſtipes ſit, qui neceſsitatem Conſeſequentiæ non videat. Cæteri verò omnes vocantur *imperfecti* ex aliquo defectu claritatis, quo neceſsitas Conſequentiæ dubia, vel nulla nonnunquam videbitur ingenio minùs perſpicaci.

90 Quam ob rem, ut nullus eſſet tergiverſandi locus, inventa eſt ars (ingenioſa quidem, ſed inter diſputandum vix unquam ad uſum redacta) reducendi ſyllogiſmos imperfectos ad aliquem

ex

ex quatuor illis primæ Figuræ Modis, planioris evidentiæ gratiâ. Eſt autem reductio ſyllogiſtica duplex. Prima dicitur *Oſtenſiva*, ſeu *per oſtenſionem*: ſecunda *ad impoſſibile*, ſeu *per impoſſibile*.

Reductio per oſtenſionem.

91 OStenſiva Reductio fit converſione alicujus, vel aliquarum enuntiationum, additâ nonnumquam tranſpoſitione Pręmiſſarum, ita ut Major fiat Minor, & è converſo. Pro quo nota. Dictiones Modorum indices, cap. 3. exaratæ, incipiunt à litteris B. C. D. F.; quibus indicantur Modi perfecti, ad quos imperfectus quiſque revocatur. Modus igitur imperfectus ad illum reducitur, cum quo in litterâ initiali convenit: videlicet, *Baralipton* ad *Barbara*, *Celantes*, *Ceſare*, & *Cameſtres*, ad *Celarent*; *Dabitis*, *Darapti*, *Diſamis*, & *Datiſi*, ad *Darii*; *Fapeſmo*, *Friſeſom*. *Feſtino*, *Felapton*, & *Feriſon*, ad *Ferio*.

92 Præterea, in ijſdem Dictionibus imperfectis littera S. denotat, convertendam ſimpliciter enuntiationem, quę vocali pręcedenti reſpondet: littera P., convertendam per accidens: littera M., tranſponendas eſſe Præmiſſas, ut ſit Minor, quę Major erat, & è contrario. Ac demùm littera C. non initialis indicat, Modos, quibus ineſt, non poſſe reduci per oſtenſionem, ſed ad impoſſibile duntaxat. Hi ſunt *Baroco*, & *Bocardo*. Totum hoc artificium notatur his verſibus.

Simpliciter verti vult S.: P. verò *per accid.*:

M.

M. vult tranſponi : C., per impoſsibile duci.

93 Exemplis res clareſcet. Ut reducas hunc ſyllogiſmum, *Omnis homo eſt animal*, *Nulla arbor eſt animal*, *Ergo nulla arbor eſt homo*, quem vides eſſe in *Cameſtres*; obſerva 1., Modum iſtum reduci ad *Celarent*, quia incipit à C.: 2., Minorem, & Concluſionem ſimpliciter convertendas eſſe, quia vocales ſecundam, & tertiam ſubſequitur S. in *Cameſtres*: 3., Præmiſſas debere tranſponi, quia adeſt M. Sic ergo diſcurſum reformabis: *Nullum animal eſt arbor*, *omnis homo eſt animal*, *Ergo nullus homo eſt arbor*. En ſyllogiſmum in *Celarent*, ex cujus Concluſione poteris jure Converſionis eamdem colligere, quam priùs intendebas.

94 Similiter, ut hunc reducas, *Nullus homo eſt leo*, *omnis homo eſt vivens*, *ergo aliquod vivens non eſt leo*; cùm videris eſſe in *Felapton*, tene Præmiſſas eodem ſitu, quia abeſt M.: nullam convertito ſimpliciter, quia abeſt S.: ſolam Minorem convertito per accidens, quia ſecundam vocalem ſubſequitur P.: quibus ſervatis, ſyllogiſmum in *Ferio* ſic effeceris: *Nullus homo eſt leo*, *Aliquod vivens eſt homo*, *Ergo aliquod vivens non eſt leo*; ubi Concluſio eadem, quam optas, prodit evidentior. Id ipſum facilè jam prẹſtabis in cæteris Modis.

95 Tantùm nota pro *Baralipton*, litteram P. non indicare, quòd per accidens convertatur Concluſio; ſed quòd ex eiſdem Prẹmiſsis inferri poſsit in *Barbara* Concluſio univerſalis, ex qua per

per accidens converſâ reſultat Concluſio Modi *Ba-raliptori.*

Reductio ad impoſsibile.

96 REductio ad impoſsibile inſtituta eſt, ut adverſarius, qui, conceſsis Præmiſſis alicujus Modi imperfecti, Concluſionem protervè negat, per ſyllogiſmum perfectum cogatur ut ſimul veras admittere duas contradictorias, vel contrarias; aut certè negationem retractet, ne tantam abſurditatem devoret.

97 Reductio iſta poſtulat, ut ex imperfecto ſyllogiſmo detrahatur aliqua Pręmiſſa, cui ſuccedat Contradictoria negatæ Concluſionis; ut indè prodeat in Modo perfecto nova Concluſio contradictoria, vel contraria illi Pręmiſſæ, quæ detracta eſt, & quæ jam ab adverſario conceſſa ſupponitur. Qualiter autem id præſtandum in ſingulis Figuris, indicatur his verſibus.

Major fit Minor, & fit Contradictio Major.
Excipe *Celantes*, in quo pervertitur ordo.
Servat Majorem, variatque ſecunda Minorem.
Tertia Majorem variat, ſervatque Minorem.

98 Quorum ſenſus eſt. Dum agitur de reducendis Modis indirectis primæ Figurę, de qua loquitur primus verſus, contradictoria Concluſionis negatæ ſit Major: detrahatur Minor antiqua; & illa, quæ antea Major erat, ſit Minor: quibus poſitis, ſequetur in aliquo Modo perfecto Concluſio contradictoria, vel contraria Minoris ſublatæ.

Ex

99 Ex.g.Poſito ſyllogiſmo in *Fapeſmo*:*Omnis homo eſt animal*, *Nullus leo eſt homo*, *ergo aliquod animal non eſt leo*: ſi quis conſequentiam neget conceſsis Præmiſsis, tenetur admittere contradictoriam Concluſionis, nempè *Omne animal eſt leo*.Hæc igitur ponatur pro Majore,& loco Minoris illa Major antiqua, *Omnis homo eſt animal*. Ex his verò ſequitur in *Barbara* Concluſio iſta,*Ergo omnis homo eſt leo*: quæ ſi convertatur per accidens in iſtam, *Aliquis leo eſt homo*, fiet contradictoria Minoris, quam in priori ſyllogiſmo conceſſerat adverſarius.

100 Ex Modis imperfectis primæ Figurę excipitur *Celantes*, in cujus Reductione Minor antiqua fit Major, & contradictoria Concluſionis fit Minor, prout cavetur verſu ſecundo.

101 In ſecundâ Figurâ Major manet intacta, & pro Minore ponitur contradictoria Concluſionis, prout tertio verſu notatur. V.g. in *Ceſare* ſyllogiſmus, *Nullus lapis eſt vivens*, *omnis homo eſt vivens*, *Ergo nullus homo eſt lapis*; ita reducitur:*Nullus lapis eſt vivens* (quę eſt Major antiqua), *Aliquis homo eſt lapis* (quæ eſt contradictoria Concluſionis negatæ), *Ergo aliquis homo non eſt vivens*. En Concluſionem deductam in *Ferio*, & contradictoriam Minoris, quę conceſſa fuerat in *Ceſare*.

102 In tertiâ Figurâ Minor manet immota, & pro Majore ponitur contradictoria negatæ

Con-

Concluſionis, prout innuitur in quarto verſu. Quare ſyllogiſmum in *Feriſon* v. g., *Nullum animal eſt lapis, Aliquod animal eſt homo, Ergo aliquis homo non eſt lapis*; ſic reduces: *Omnis homo eſt lapis, Aliquod animal eſt homo, ergo aliquod animal eſt lapis*: Ubi nihil negare poterit adverſarius: non Majorem, quia eſt contradictoria Concluſionis ab ipſo negatæ; non Minorem, quia jam anteà conceſsit; concedet ergo Concluſionem, utpotè deductam in Modo perfecto *Darij*. At hæc eſt contradictoria illius Majoris, quam ipſe admiſit in primo ſyllogiſmo. Eâdem arte reliquos Modos reducere licebit.

103 Ut autem dignoſcatur, ad quem Modum perfectum imperfectus quiſque reducatur, proponi ſolent Dictiones iſtæ, *Neſciebatis*, *Oriebar*, *Letare*, *Romanis*. Prima continet quinque vocales, reſpondentes quinque Modis indirectis primæ Figuræ, ita ut primus notetur primâ vocali, ſecundus ſecundâ, & ſic de cæteris. Secunda Dictio quatuor vocalibus notat eodem ordine quatuor ſecundę Figurę Modos: & tertia ſex vocalibus indicat ſimiliter totidem Modos tertię Figurę. Vocales autem ſunt A., E., I., O., in quas deſinunt quatuor Modi perfecti primę Figurę.

104 Quo poſito, Modus quiſque imperfectus reducitur ad illum perfectum, cujus ultima vocalis fuerit eadem, quę imperfecto reſpondet in iſtis Dictionibus. Unde, qui numerandi ordine in-

cidunt in A., reducuntur ad *Barbara*; qui in E., ad *Celarent* ; qui in I., ad *Darij*; qui in O., ad *Ferio*. Hæc moleſta ſunt. Si Præmiſſas diſponas juxta verſus illos n. 97., ex earum quantitate, & qualitate faciliùs cognoſces, in quo Modo perfecto concludendum ſit.

CAP. VI.

DE SYLLOGISMIS EXPOSITORIO, MODALI, & Hypothetico.

105 PRæter Syllogiſmum abſolutum deMedio communi, quem hactenùs explicuimus, ſuperſunt *Expoſitorius*, *Modalis*, & *Hypotheticus*, de quibus ſeorsùm agendum; quia regulas aliquot exigunt peculiares.

DE EXPOSITORIO.

106 SYllogiſmus *Expoſitorius* (ita dictus, quia rem quaſi oculis exponit) ille eſt, *qui conſtat Medio ſingulari*. Confici poteſt in qualibet ex tribus Figuris, ſive Extrema ſint termini communes, ſive ſingulares; & in ſingulis concludere, tum affirmativè, tum negativè, juxta valorem Præmiſſarum. Ex.g. in primâ Figurâ : *Cicero eſt eloquens, ſed hic Orator eſt Cicero, Ergo hic Orator eſt eloquens: Cicero non eſt Græcus, ſed Aliquis Orator eſt Cicero, Ergo aliquis Orator non eſt Græcus.*

107 Quod attinet ad Modos, totidem fermè variari poſſunt in Expoſitorio, quot in Syllogiſmo deMedio communi. Excipe tertiam Figuram, in qua non niſi duplex eſt Modus, uterque particularem

Digitized by Google

Concluſionem colligens, alter affirmativam ex affirmativis; alter negativam ex Majore negante, & Minore affirmante. V.g. *Petrus eſt homo, Petrus eſt animal, Ergo aliquod animal eſt homo: Petrus non eſt leo, Petrus eſt vivens, Ergo aliquod vivens non eſt leo.*

108 Verùm utilitas, aut inutilitas Modorum facilè cuivis apparebit ex Principiis, *Quæ ſunt eadem uni tertio, &c.*, quorum tota vis in hoc ſyllogiſmorum genere maximè reſplendet. In eo pariter vim habent Regulæ, de quibus c.4.: niſi quòd Concluſio non ſemper ſequitur partem in quantitate debiliorem, ut ibidèm advertimus; & ex puris particularibus, & purè affirmativis, benè concluditur in ſecundâ Figurâ, ut *Aliquis homo eſt Petrus, Aliquod vivens eſt Petrus, Ergo aliquod vivẽs eſt homo.*

DE MODALI.

109 MOdalis Syllogiſmus eſt, *qui ſtruitur ex Enuntiationibus Modalibus*, vel ita ut omnes ſint purè Modales, vel ita ut altera Præmiſſa ſit Abſoluta, ſeu *de ineſſe*. Exempla ſint: *Neceſſe eſt omne vivens eſſe ſubſtantiam, Neceſſe eſt omne animal eſſe vivens, Ergo neceſſe eſt omne animal eſſe ſubſtantiam: Poſſibile eſt omne animal ſentire, omnis homo eſt animal, Ergo poſſibile eſt omnem hominem ſentire.*

110 In hiſce Syllogiſmis nonniſi tres termini computantur, illi ſcilicet, qui reperiuntur in Dicto. Modus enim, ſicut in Converſione Modalium non nu-

Digitized by Google

numeratur inter ſubjecta, & prædicata, ſic modò nec inter Syllogiſmi terminos. Unde etiam tam Figura, quam Modus Syllogiſticus, penſari debet ex parte ſolius Dicti: & idcircò uterque Syllogiſmus, nuper adductus, in primâ Figurâ eſt, & in Modo *Barbara*.

111 Porrò ſyllogiſmus undique Modalis de *Neceſſe*, formari poteſt in omnibus Figuris, ac Modis cap. 3. poſitis. Ceterum Syllogiſmi de *Poſſibili*, *Contingenti*, & *Impoſſibili*, ſi conſtent Majore, & Minore Modalibus, tantâ varietate ſenſûs implicantur, totque monitis, aut regulis indigent, ut ſine magno diſcentium tædio explicari vix poſsint. Siquando occurrerint, nihil de Conſequentiâ decernas, priùſquam ſenſum, & vim Præmiſſarum attentè perſcruteris, tum ex Regulis ſyllogiſticis, tum ex propriâ naturâ Modalium, expoſitâ Diſp. 5. cap. 7.

DE HYPOTHETICO.

112 SYllogiſmus *Hypotheticus* eſt, *qui alterâ ſaltem Præmiſſâ conſtat hypotheticâ*. Accipitur nunc Hypothetica pro Complexâ, ut fert uſus Scholæ: cùmque enuntiatio complexa ſit quadruplex, ut habes Diſp. 5. cap. 5.; ideò Syllogiſmus iſte poteſt eſſe *Copulativus*, *Disjunctivus*, *Cauſalis*, aut *Conditionalis*. Vix umquam fit (preſertim primus, & ſecundus) ex utraque Præmiſsâ complexâ. Quare ſub eâ formâ, quę uſitatior eſt, ſcilicet ubi ſola Major eſt complexâ, nonnulla pro ſingulis ſpeciebus documenta dabimus.

113 Syllogiſmus igitur *Copulativus* conſtat

Majore copulativâ ſimpliciter negante (ſi enim ſit affirmans ſecundùm præcipuam copulam, vel nullum, vel inſulſum efficit ſyllogiſmum);& tùnc rectè concludit, cùm in Minore ponitur altera pars,& altera in Concluſione tollitur. Ex.g.*Non & Petrus currit,& Paulus ſedet;ſed Petrus currit; ergo Paulus non ſedet*:vel;ſed *Paulus ſedet;ergo Petrus non currit.*

114 Idem erit,ſi alterum,aut ambo extrema ſint negativa, ut *Non & Petrus non ſedet, & non ambulat*; ſemper enim ex alterius datâ veritate ſequitur alterius excluſio,ut,*Sed Petrus non ambulat, Ergo ſedet.* Ijſdem modis ſyllogizare licet, quando Major,tametſi formaliter ſimplex,æquipollet copulativæ:ut,*Non & Petrus & Paulus currunt,ſed currit Paulus,Ergo non currit Petrus:Nemo ſervit Deo, & divitijs,Sed avarus ſervit divitijs,Ergo non ſervit Deo.*

115 Tota hæc concludendi vis nititur ſenſu copulativę negantis, cujus veritas exigit,ne detur ſimultas extremorum. Malè tamen argues vi formę ab excluſione unius extremi ad poſitionem alterius, ſic v.g.,*Non & Petrus ludit, & cantat,Sed non cantat, Ergo ludit*; poteſt enim neutrum agere. Malè item à poſitione unius ad poſitionem alterius, ut, *Non & Petrus eſt, & non eſt, Sed eſt,ergo non eſt*; ubi perperàm infertur poſitio, ſeu veritas ſecundi extremi ex veritate primi.

116 Syllogiſmus *Disjunctivus* ſtruitur ex Majore Disjunctivâ ſimpliciter affirmante (nam quæ

ſe-

ſecundùm precipuam copulam negat,tanquam obſcura, & minùs uſitata, nunc omittitur); tuncque vim habet, cùm ex unius partis excluſione colligit poſitionem ſeu veritatem alterius, ſtante veritate disjunctivâ. V. g. *Petrus aut diſputat, aut cantat; Sed non diſputat; Ergo cantat*: vel; *Sed non cantat; Ergo diſputat*. Idem eſt, quando utraque pars, aut altera tantùm, eſt negativa.

117 Totum hoc pendet ex eo Principio: Quòd veritas disjunctiva non patitur utriuſque partis falſitatem. Perperàm tamen argues vi formę à poſitione unius partis ad excluſionem alterius: nam, ut ſuo loco vidimus, Disjunctiva permittit veritatem utriuſque partis. Quare talis arguendi modus tantummodò valet ratione materię, quando disjunctio fit inter extrema oppoſita. Perperàm item vi formæ colliges veritatem unius partis ex veritate alterius; ut patet in hac formulâ: *Aut dormis, aut non dormis, Sed non dormis, Ergo dormis.*

118 Sed nota vigilantèr, nihil ſyllogiſmo Diſjunctivo concludi, niſi Minor poſsit eſſe vera in ſenſu compoſito Majoris disjunctivæ; ſi enim hujus veritatem neceſſariò deſtruat, nullam Conſequentiam parit: ideòque notantèr diximus, Syllogiſmis hiſce vim eſſe, *ſtante veritate disjunctivâ*. Unde ex his, *vel Petrus non exiſtit, vel Deus deficit; ſed Petrus exiſtit*; minimè ſequitur, *Ergo Deus deficit*: quia Major nequit eſſe vera, niſi ratione primæ partis, quæ tollitur per veritatem Minoris.

119 Idem accidit, quoties disjunctio fit inter extrema, ſic inter ſe connexa, ut alterum ſine altero auferri non poſsit. V.g. *Aut Mundus exiſtit, aut conſervatur à Deo; ſed Mundus non exiſtit*, non infertur, *Ergo Mundus conſervatur à Deo*: quia defectus prioris extremi, qui in Minore ponitur, ſecum trahit defectum poſterioris; ac proinde ruit veritas Majoris disjunctivę.

120 Circa Syllogiſmum *Cauſalem* hoc nota, quòd, ſi conſtet Cauſali ſtrictâ, rectè colliget idem prædicatum de quovis alio ſubjecto, cui eadē cauſa, vel ratio tribuatur in Minore. V.g. *Quia Petrus eſt rationalis, eſt admirativus; ſed omnis homo eſt rationalis; Ergo omnis homo eſt admirativus*. Quæ forma ideò concludit, quia in Majore continetur hæc univerſalis, *Omne rationale eſt admirativum*; ut alibi notavimus.

121 Syllogiſmus *Conditionalis*, qui conſtat Majore conditionali, & Minore categoricâ, duplici Figurâ conſtruitur. Primâ, in quâ ex conditione abſolutè poſitâ infertur abſolutè conditionatum: ut, *Si Sol lucet, dies eſt; Sed Sol lucet; Ergo dies eſt*. Hæc nititur eo Principio: *Conditionatum purificatâ conditione tranſit in abſolutum*. Secundâ, in qua ex defectu conditionati colligitur defectus conditionis: ut, *Si Sol lucet, dies eſt; ſed dies non eſt; ergo Sol non lucet*. Hęc nititur ſenſu ipſo propoſitionis conditionalis, cujus veritas exigit, ne ponatur conditio ſine conditionato.

Utra-

122 Utraque Figura locum habet, ſive conditionalis ſit illativa, ſive non: item, ſive extrema ſint affirmativa, ſive utrumque, vel alterum negativum. Conditionalis tamen, in qua pręcipua copula negatur, nunc ut inuſitata prętermittitur.

123 Sed cave, ne ex defectu conditionis inferas defectum conditionati, aut ex poſitione iſtius, poſitionem hypotheſis: nihil enim vi formæ concludes. Unde ſub hac Majore, *Si exiſtit Petrus, exiſtit Deus*; malè ſic pergas, *Sed non exiſtit Petrus, Ergo nõ exiſtit Deus*: vel ſic, *Sed exiſtit Deus, Ergo exiſtit Petrus.*

124 Cave etiam, ne Minor talis ſit, ut neceſſariò deſtruat veritatem Majoris; tùnc enim nulla ſequitur Concluſio, ut quę ſemper ſtantem præſupponit ſimultaneam utriuſque Pręmiſſæ veritatem. Unde in his: *Si duo corpora exiſtunt, non ſunt penetrata; ſed ſunt penetrata; Ergo non exiſtũt: Si daretur libertas A., nõ peccaret; ſed peccat; Ergo non datur libertas A.*

125 In his, inquam, nulla eſt Conſequentia: quia veritas Minoris, cùm ſupponat, hypotheſim in ſtatu abſoluto ſeparari à conditionato, neceſſariò importat falſitatem Majoris, quæ talem ſeparationem excludit. Quòd Minor ita ſupponat, evidens eſt. Nam corpora nequeunt eſſe penetrata, quin exiſtant, & ſine carentiâ penetrationis: item libertas A., dum peccat, abſolutè exiſtit, & ſine carentia peccati.

126 Ex dictis colliges Syllogiſmum Hypotheticum, ſive Complexum, differre à ſimplici, ſeu cathegorico, ſecundum Formam, & numerum termi-

Digitized by Google

horum, eo quòd à diverſis Principiis vim hauriat: quare etiam diverſis Regulis tenetur, nec omnibus his adſtringitur, quæ cap. 4. adductæ ſunt.

CAP. VII.

INDICATUR VARIETAS SYLLOGISMORUM ex objecto proveniens: ubi de Fallacijs.

127 OMne Syllogiſmorum genus, hactenùs expoſitum, dividi tandem poteſt in Syllogiſmum *Demonſtrativum*, *Probabilem*, *Pſeudographum*, & *Sophiſticum*: quę diviſio tota ferè provenit ex objecto, ſeu materiâ *circa quam*. *Demonſtrativus* eſt, qui rectâ formâ conſtruitur ex Præmiſsis evidentibus, & neceſſarijs. *Probabilis* (alias *Dialecticus*, & *Topicus*) eſt, qui rectâ formâ ſtruitur ex Præmiſsis probabilibus, vel ſaltem alterâ neceſſariâ, & alterâ probabili. De his ex profeſſo tractabit Logica.

128 *Pſeudographus* (id eſt mendacis deſcriptionis) eſt, qui rectâ quidem formâ conficitur, ſed Præmiſſam aliquam re ipsâ falſam venditat incautis tamquam omninò veram, ac neceſſariam. V. g. *Quidquid non amiſiſti, habes; Sed caudam non amiſiſti; Ergo caudam habes*: ubi Major videbitur incautis vera, ac innegabilis; cùm tamen ſit omninò falſa.

129 *Sophiſticus* (alias *Paralogiſmus*, & *captioſus*, aut *fallax* ſyllogiſmus) eſt, qui non verè, ſed apparenter concludit; ſeu qui rectâ formâ non conſtat ob alicujus Regulæ neglectum; & tamen quadam rectitudinis ſpecie decipit. Quare hoc differt Pſeu-

do-

Digitized by Google

dographus à Sophiſtico, quòd ille in materiâ, hic peccat in formâ. Uterque tamen ſolet comprehendi nomine *Captionis*, *Fallaciæ*, *Sophiſmatis*.

130 Quamquàm verò Fallacias omnes, præſertim quæ vitio formę proveniunt, detegere, atque adeò ſolvere facilè queat, qui Regulas ſuprà traditàs obſervaverit; nihilominùs earum fontes nunc indicabimus, ut faciliùs dignoſci, vitarique poſsint.

DE SYLLOGISMORUM FALLACIJS.

131 TREDECIM paſsim numerantur ſedes, aut fontes Sophiſmatum, ſex in verbis, ſeptem in rebus. Ex claſſe *verborum*, ſive *dictionis*, prima Fallacia, ſeu prima ſpecies, eſt *Æquivocationis*. Hæc termino æquivoco ludit: ut, *Gallus eſt avis; Francus eſt Gallus; Ergo eſt avis.* Secunda eſt *Ambiguitatis*, ſive *Amphiboliæ*. Hæc totius enuntiationis ſenſum variat: Ex.g. *Quidquid eſt Ariſtotelis, non eſt tuum; ſed Logica, quam emiſti, eſt Ariſtotelis; Ergo non eſt tua*: ubi Major loquitur de Ariſtotele ut domino, Minor de eodem ut Authore.

132 Tertia eſt *Accentus*. Hęc abutitur vocibus ſono, aut ſcriptione ſimilibus, quaſi nihil differant, cùm tamen diverſa ſignificent ex varietate accentûs, quantitatis, aut pronuntiationis. Ut, *Quidquid edis, comedis; ſed librum edis; Ergo librum comedis.*

133 Quarta eſt *Figuræ dictionis*. Hac utitur, qui diverſis vocibus attribuit eaſdem leges Grammaticas ratione cujuſdam ſimilitudinis: ut ſiquis paritate vocis *Planta* vocem *Planeta* contendat eſſe

fæ-

Digitized by Google

fæmenini generis. Item; qui accipit *Quid* pro *Quali*, permiſcendo voces utriuſque ſignificativas: ut, *Quod emiſti, comediſti; ſed carnes crudas emiſti; ergo carnes crudas comediſti.* Hoc diſtinctione ſolvitur ſic. *Diſt. Maj.*: quod emi, & quale emi, *neg.*; & non quale emi, *Conc. Maj.*, & *Min.* & *neg. conſeq.*.

143 Quinta eſt *Compoſitionis*, Sexta *Diviſionis*. His fallit, qui tranſit à ſenſu compoſito ad diviſum, aut è converſo. Ut, ſi ſub hac Evangelicâ propoſitione, *Cœci vident*, ita ſubſumas; *Sed omnes cœci viſu carent*; *Ergo qui viſu carent, vident*: nihil concludis; quia Minor, & Concluſio ſenſum habent compoſitum, cùm Major habeat diviſum.

135 Eodem vitio laborat tranſitus à ſenſu copulato ad copulativum, & à disjuncto ad disjunctivum. Quare in hoc ſyllogiſmo: *Quæcumque ſunt duo & tria, ſunt duo, & ſunt tria; ſed quinque ſunt duo & tria; Ergo quinque ſunt duo, & quinque ſunt tria*: Concluſio eſt omninò falſa, eo quòd Major ſolùm eſt vera in ſenſu copulativo, Minor ſolùm in ſenſu copulato, à quo vitiosè tranſitur ad copulativum in Concluſione. Similiter in iſto: *Omnis propoſitio eſt vera, vel falſa; ſed non omnis eſt vera; ergo omnis eſt falſa*: concluditur falsò; quia Major ſolùm eſt vera in ſenſu disjuncto, ſub quo non licet alterum extremum ſumere ſeorsùm ab altero, prout ſumitur in Minore, & Concluſione, quę ſenſum disjunctivum proinde ſupponunt.

136 Jam ex claſſe Sophiſmatum *in rebus*, ſive

ex-

extra dictionem, prima ſpecies dicitur *Accidentis*; quæ eſt omnium vaferrima captio: conſiſtitque in eo, quòd putentur indiſcriminatim convenire, aut non convenire ſubjecto, quæcumque ipſius Accidenti conveniunt, aut non conveniunt: & vice verſâ. Vocatur autem *Accidens* in præſenti, non ſolùm quod contingenter advenit, ſed etiam quodcumque prędicatum aliquatenus à ſubjecto diverſum, ſaltem ſi non ſit integra definitio ipſius.

137 Hùc pertinent captiones illæ: *Feciſti Cathedram*; *ſed Cathedra eſt lignum*; *ergo feciſti lignum*: *Coriſcum cognoſcis*; *ſed Coriſcus eſt veniens*; *ergo venientem cognoſcis*: ubi ex effectione accidentis vitioſe infertur effectio ſubjecti, & ex cognitione ſubjecti cognitio accidentis.

138 Hùc etiam ſpectat mutatio ſuppoſitionis ſimplicis in perſonalem, aut è converſo: ut, *Animal eſt genus*; *ſed homo eſt animal*; *ergo homo eſt genus*. Item variatio appellationis: Ut, *Capra eſt mater*; *Capra eſt tua*; *Ergo capra eſt mater tua*: ubi terminus *tua* appellat in Concluſione ſupra accidens *mater*, & in Minore ſupra ſubjectum. Item tranſitus ab eſſe individuali ad ſpecificum, ut in veteri argutiâ: *Quod ego ſum, tu non es*; *ſed ego ſum homo*; *ergo tu non es homo*: ubi Major verificatur de eſſe individuali; Minor, & Concluſio loquuntur de ſpecifico.

139 Ac demùm hùc reduci poteſt lubrica iſta ſyllogizandi forma: *Quicumque dicit, te eſſe ani-*

mal, verum dicit; Sed qui dicit te eſſe aſinum, dicit te eſſe animal; Ergo qui dicit te eſſe aſinum, verum dicit: Quicumque negat te eſſe hominem ſacrilegum, non errat; Sed qui negat te eſſe hominem, negat te eſſe hominem ſacrilegum; Ergo qui negat te eſſe hominem, non errat. Simili formâ poterit omnis veritas deſtrui, & omnis error adſtrui. In his tamen nullum formæ vitium apparet, ſed ſolius materię; quia ſcilicet Major, univerſim, & indiſtinctè ſumpta, falſa eſt.

140 Sic igitur *diſt. Maj.*: Quicumque dicit &c., verum dicit, ſi nihil addat alienum, *conc.*; ſi quid alienum addat, *neg.* Tum *diſting. Min.*: & aliquid addit alienum, *conc.*; & nihil addit, *neg. Min.*, & *conſeq.*. In altero exemplo *diſt. Maj.*: ſi neget præcisè complexum utriuſque Termini, *conc.*; ſi neget utrumque terminum ſingulatim, *neg.*: unde cùm in Minore negetur ſingulatim, & eſſe hominis, & eſſe ſacrilegi; Conſequentia nulla eſt.

141 Secunda ſpecies eſt, *quæ arguit à vero ſimpliciter, ad verum ſecundùm quid; aut vice verſâ.* Sic accidit, quoties violantur leges Diminutionis, Reſtrictionis, & Alienationis Terminorum. Ut, *Homo non eſt corporeus ſecundùm animam; ergo homo non eſt corporeus: Chriſtiano licet veſci carnibus; ergo ipſi licet veſci carnibus in Quadrageſima: Statua eſt homo marmoreus; ergo eſt homo.* Item, ſi ab oppoſito iſtorum Conſequentium inferatur Oppoſitum Antecedentium.

Ter-

Digitized by Google

142 Tertia eſt *Ignorationis Elenchi*. Eſt autem Elenchus in præſenti redargutio, ſive illatio Concluſionis contradicentis propoſitioni ab alio conceſſæ. Dum ergo quis fallitur, putans, Concluſionem ab arguente illatam contradictoriam eſſe propoſitionis à ſe conceſſæ, cùm non ſit, ideòque adigitur ad oppoſita ſimul concedenda; dicitur incidere in fallaciam Elenchi.

143 Quarta eſt *Petitionis principij*; quæ tunc adeſt, cùm Concluſio probanda aſſumitur ad probationem ſui (vel ad ſolutionem difficultatis oppoſitæ) per terminos ſynonymos, aut certè nihil novę claritatis afferentes; quos tamen incautus accipit tanquam diverſos, aut clariores. Ut, ſi probes hoc ferrum eſſe gladium, quia eſt enſis; aut cœlum eſſe rotundum, quia eſt ſphęricum.

144 Quinta dicitur *Conſequentis*. Cujus dolus in eo eſt, quòd credatur Antecedens inferri ex Conſequenti, ſicut Conſequens ex Antecedenti: ut, *Si eſt homo, eſt animal; Ergo ſi eſt animal, eſt homo*: aut etiam ex oppoſito Antecedentis deduci oppoſitum Conſequentis, ſicut accidit è converſo: ut, *Si eſt homo, eſt animal; Ergo ſi non eſt homo, non eſt animal.*

145 Sexta dicitur *Non cauſæ ut cauſæ*. Hæc tunc decipit, cùm aliquid æſtimatur ut cauſa alicujus mali, vel abſurdi, cùm revera non ſit: ut, ſi quis vini uſum omninò prohibendum dicat, quia malum ebrietatis indè provenit; cùm tamen ebrietatis cauſa non ſit vini uſus, ſed abuſus.

Sep-

Digitized by Google

146 Septima eſt *plurium interrogationum ut unius*. Hęc in eo conſiſtit, quòd ad plura ſimul interrogata petatur ſimplex reſponſio, ex qua abſurdum aliquid inferatur. V.g. interroganti, num *Petrus ſit homo, & equus*; ſi reſpondeas, *eſt*; colliget ille, *Ergo Petrus eſt equus*: ſi verò reſpondeas, *non eſt*, ſtatim ille, *Ergo Petrus non eſt homo*. Reſponde igitur per partes: *Eſt homo, & non eſt equus*. Denique, ſi qua inſuper occurrat aliûs generis fallacia, ad Regulas Conſequentię, & Syllogiſmi, tanquam ad Lydium lapidem probata, facilè vitium prodet.

CAP. ULTIMUM.
DE INVENTIONE MEDIJ.

147 ARTEM inveniendi Medium, quam tradunt Summuliſtę veteres, communitèr, & meritò Recentiores omittunt, ut quæ plus continet confuſionis, quàm utilitatis. Nunc tamen breviter ex eâ dabimus, quæ minùs inutilia videbuntur. Quatuor eſſe ſolent propoſitiones, ad quarum probationem quęritur Medium, duæ univerſales, duę particulares, affirmativæ, & negativæ.

148 Medium autem eligi poteſt, vel *conſequens* ad extrema, nempe quod ex illis infertur, cujuſmodi eſt animal, & cętera ſuperiora prędicata reſpectu hominis: vel *antecedens*, quod ſcilicet extrema infert, qualia ſunt omnia inferiora prædicata reſpectu ſuperiorum: vel *extraneum*, quod nec infert, nec ſubſequitur extrema, ut eſt equus reſpectu hominis. Termini convertibiles, ut *rationale*, & *ho-*

mo,

mo, ſibi invicem ſunt antecedens, & conſequens.

149 Ut igitur probes univerſalem affirmativam, v. g. *Omnis homo eſt vivens*, quære Medium conſequens ad ſubjectum, & antecedens ad prędicatum: & cùm inveneris, *animal* tale Medium eſſe, ſic probationem inſtitue: *Omne animal eſt vivens, Omnis homo eſt animal, Ergo omnis homo eſt vivens.*

150 Ut probes univerſalem negativam in *Celarent*, aut *Ceſare*, Medium quære conſequens ad ſubjectum, & prædicato extraneum: aut extraneum ſubjecto, & conſequens ad prędicatum, ut probes in *Cameſtres*. Ut probes particularem affirmativam in primâ Figurâ, Medium ſit conſequens ad ſubjectum, & antecedens ad prædicatum: in tertiâ autem Figurâ, antecedens ad utrumque.

151 Tandem pro particulari negativâ, Medium ſit conſequens ad ſubjectum, & prędicato extraneum in primâ Figurâ, necnon in *Feſtino* ſecundæ: at in *Baroco*, & in tertiâ Figurâ, ſit antecedens ad ſubjectum, & extraneum prędicato. Hactenùs quidquid utilitatis ex vulgatâ Arte inveniendi Medium exprimi poteſt.

152 Sed verò germana ars inveniendi Media, ſive Argumenta ad probationem cujuslibet Concluſionis idonea, reipsâ nulla eſt, præter ingenium vividum, ac ſolidum, aſsiduâ exercitatione cultum, multarumque rerum cognitione, legendo, & audiendo comparatâ, locuples. Ipſa tamen rerum cognitio promptior, atque utilior erit, ſi per certa quędam

dam capita, quos vocant *Locos inventionis*, aut *Sedes Argumentorum*, diſtributa ſit: ut deindè Dialectica doceat, quâ formâ ſingulis utendum, ne probatio inefficax evadat.

153 Promuntur autem Argumenta à *Locis*, aut *Sedibus* iſtis: à Definitione, à Diviſione, à Conjugatis, à Cauſis, ab Effectibus, ab Antecedentibus, à Conſequentibus, à Circumſtantibus, à Similibus, à Paribus, à Majoribus, à Minoribus, à Diſſimilibus, ab Oppoſitis, à Repugnantibus, ab Authoritate, tum Divinâ, tum Humanâ. De Locis hiſce Rhetorici diſſerunt, necnon Dialectici, quibus exſpatiari licet: noſque plures eorum in hujus opellæ decurſu ſparſim indicavimus. Nunc pro ſuſcepti laboris conſilio dicta ſufficiant.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

INDEX
TITULORUM, QUI IN INSTITUTIONIB. *Dialectic. continentur.*

DISP. I. De Signo, Nomine, & Verbo. Pag.4.
Cap. I. Quid ſit Signum, & quotuplex? p.5.
Signi diviſiones variæ, p.6.
Cap. II. Nonnullæ objectiones ſolvuntur: & quædam adnotantur. p.11.
Annotantur aliqua circa Signum. p.15.
Cap. III. De Signo vocali. p.18.
Conſtitutio Signi vocalis ad placitum. p.20.
Cap. IV. De Nomine. p.22.
Cap. V. De Verbo. p.27.
Diſp. II. De Oratione, & Modo Sciendi. p.34.
Cap. I. De Oratione in communi. ibid.
Cap. II. Definitur, ac dividitur Modus Sciendi. 38.
Cap. III. De Definitione. p.40.
Quid vocetur Definitum? & quatenùs à Definitione differat? p.43.
Notanda quædam. p.45.
Cap. IV. Leges definiendi traduntur: & Definitionis definitio defenditur. p.47.
Solvitur objectio contra definitionem Definitionis. p.53.
Cap. V. De Diviſione. p.55.
De Diviſione per ſe. p.57.
De Diviſione per accidens. p.58.
Advertenda quædam. p.60.
Cap. VI. Leges rectæ Diviſionis: & varius

exinde locus arguendi. Pag.61.
Loci arguendi à Diviſione. p.64.
Cap. VII. De Argumentatione remiſsivè.p.66.
Diſp. III. De Termino. p. 68.
Cap. I. Quid ſit Terminus Logicus ? p.69.
Cap. II. Dubiola quædam reſolvuntur. p.73.
Cap.III. Multiplex diviſio Termini recenſetur, & exponitur. p.78.
De Termino mentali, vocali, & ſcripto.p.79.
De Termino Categorematico, & Syncategorematico. p.80.
De Termino communi, & ſingulari: tranſcendente, & intranſcendente: univoco, & æquivoco. p.82.
De Termino collectivo, & diviſivo: complexo, & incomplexo: primæ, & ſecundæ intentionis. p.85.
De Termino concreto, & abſtracto: connotativo, & abſoluto: denominativo, & denominante. p.86.
De Termino finito, & infinito: ac de poſitivo, privativo, & negativo. p.91.
De terminis plurali numero acceptis, & inter ſe collatis. p.93.
Diſp.IV. De Proprietatibus Termini Logici.p.95.
Cap. I. De Suppoſitione. ibid.
Cap.II. Dividitur, & ſubdividitur Suppoſitio.p.100.
Subdividitur Suppoſitio perſonalis. 103.
De Aſcenſu, & Deſcenſu, quatenus
Sup-

Suppoſitioni reſpondent. Pag. 106.
Cap. III. Regulæ pro diſcernendâ Suppoſitione traduntur. p. 109.
Pro Suppoſitione ſubjecti. p. 110.
Pro Suppoſitione prædicati. p. 114.
Cap. IV. Explicantur aliæ Termini proprietates. 116.
Status. p. 117.
Ampliatio. ibid. Reſtrictio. p. 120.
Loci arguendi à Reſtrictione. ibid.
Diminutio. p. 122. Alienatio. ibid.
Appellatio. p. 124.
Regulæ pro Appellatione diſcernendâ. p. 125.
Diſp. V De Enuntiatione. p. 128.
Cap. I. Quid ſit Enuntiatio, & quotuplex? ibid.
Enuntiationis Materia, & Forma. p. 132.
Dividitur Enuntiatio ratione materiæ, ex quâ ibid.
Dividitur item ratione materiæ circa quam. 135.
Dividitur Enuntiatio ratione Formæ. p. 138.
Enuntiationis Quantitas & Qualitas. p. 139.
Cap. II. Quid, & quotuplex ſit Enuntiationum oppoſitio? p. 141.
Dividitur Oppoſitio. p. 142.
Leges Oppoſitionis. p. 147.
Cap. III. Variæ circa Oppoſitionem contradictoriam in particulari difficultates enodantur. p. 149.
Cap. IV. De propoſitionum æquipollentiâ, & Converſione. p. 154.
De Converſione. p. 156.
Cap. V. De Enuntiatione complexâ. p. 163.
De Copulativâ. p. 165. De Disjunctivâ. p. 167.
De Conditionali. p. 169.
De Cauſali, & Rationali. 172.
Oppoſitio Propoſitionum complexarum. 173.
Notanda quædam circa Propoſit. de Relativo. 177.
De

Digitized by Google

De Conſequentiâ inter Complexas. Pag. 179.
Cap. VI. De Enunciatione Exponibili. 180.
De Excluſivâ. 181. De Exceptivâ. 185.
De Reduplicativâ. 187.
Cap. VII. De Enunciationibus Modalibus. 189.
Oppoſitio, & Æquipollentia Modalium. 192.
Converſio Modalium. 198.
De Contingenti propriè accepto nonnihil. 201.
Advertenda quædam. 202.
Diſp. VI De Argumentatione, & præcipuè de Syllog. 204.
Cap. I. De Argumentatione, & Conſequentia ejus in communi. Ibid.
Quotuplex ſit Conſequentia? 205.
Pro bonâ Conſequentiâ Regulæ quædã general. 207.
Cap. II. Quotuplex ſit Argumentatio? 212.
Cap. III. De Materiâ, & Formâ, Figurâ, & Modo Syllogiſmi. 217.
Circa Figuras, & Modos dubitationes aliquæ reſolvuntur. 222.
Cap. IV. De Principijs, ac Regulis, quibus nititur vis Syllogiſtica. 227.
Regulæ Syllogiſmorum generales. 230.
Cap. V. De Reductione imperfectorum Syllogiſmorum ad perfectos. 235.
Reductio per oſtenſionem. 236.
Reductio ad impoſsibile. 238.
Cap. VI De Syllogiſmis Expoſitorio, Modali, & Hypothetico. 241.
De Expoſitorio. Ibid. De Modali. 242.
De Hypothetico. 243.
Cap. VII. Indicatur varietas Syllogiſmorum ex objecto proveniens: ubi de Fallacijs. 248.
De Syllogiſmorum fallacijs. 249.
Cap. ultimum. De Inventione Medij. 254.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
12.34.B.32

259

Digitized by Google

Digitized by Google

- LEGATORIA A. PANDIM
1971

Digitized by Google

exinde locus arguendi. Pag.61.
Loci arguendi à Diviſione. p.64.
Cap. VII. De Argumentatione remiſsivè. p.66.
Diſp. III. De Termino. p.68.
Cap. I. Quid ſit Terminus Logicus? p.69.
Cap. II. Dubiola quædam reſolvuntur. p.73.
Cap. III. Multiplex diviſio Termini recenſetur, & exponitur. p.78.
De Termino mentali, vocali, & ſcripto. p.79.
De Termino Categorematico, & Syncategorematico. p.80.
De Termino communi, & ſingulari: tranſcendente, & intranſcendente: univoco, & æquivoco. p.82.
De Termino collectivo, & diviſivo: complexo, & incomplexo: primæ, & ſecundæ intentionis. p.85.
De Termino concreto, & abſtracto: connotativo, & abſoluto: denominativo, & denominante. p.86.
De Termino finito, & infinito: ac de poſitivo, privativo, & negativo. p.91.
De terminis plurali numero acceptis, & inter ſe collatis. p.93.
Diſp. IV. De Proprietatibus Termini Logici. p.95.
Cap. I. De Suppoſitione. ibid.
Cap. II. Dividitur, & ſubdividitur Suppoſitio. p.100.
Subdividitur Suppoſitio perſonalis. 103.
De Aſcenſu, & Deſcenſu, quatenus
Sup-

Digitized by Google

Suppoſitioni reſpondent. Pag. 106.
Cap. III. Regulæ pro diſcernendâ Suppoſitione traduntur. p.109. 258
Pro Suppoſitione ſubjecti. p.110.
Pro Suppoſitione prædicati. p.114.
Cap. IV. Explicantur aliæ Termini proprietates. 116.
Status. p.117.
Ampliatio. ibid. Reſtrictio. p.120.
Loci arguendi à Reſtrictione. ibid.
Diminutio. p. 122. Alienatio. ibid.
Appellatio. p.124.
Regulæ pro Appellatione diſcernendâ. p.125.
Diſp. V De Enuntiatione. p.128.
Cap. I. Quid ſit Enuntiatio, & quotuplex? ibid.
Enuntiationis Materia, & Forma. p.132.
Dividitur Enuntiatio ratione materiæ, ex quâ ibid.
Dividitur item ratione materiæ circa quam. 135.
Dividitur Enuntiatio ratione Formæ. p.138.
Enuntiationis Quantitas & Qualitas. p.139.
Cap. II. Quid, & quotuplex ſit Enuntiationum oppoſitio? p.141.
Dividitur Oppoſitio. p.142.
Leges Oppoſitionis. p.147.
Cap. III. Variæ circa Oppoſitionem contradictoriam in particulari difficultates enodantur. p.149.
Cap. IV. De propoſitionum æquipollentiâ, & Converſione. p.154.
De Converſione. p.156.
Cap. V. De Enuntiatione complexâ. p.163.
De Copulativâ. p. 165. De Disjunctivâ. p.167.
De Conditionali. p.169.
De Cauſali, & Rationali. 172.
Oppoſitio Propoſitionum complexarum. 173.
Notanda quædam circa Propoſit. de Relativo. 177.
De

Digitized by Google

De Conſequentiâ inter Complexas. Pag. 179.
Cap. VI. De Enuntiatione Exponibili. 180.
De Excluſivâ. 181. De Exceptivâ. 185.
De Reduplicativâ. 187.
Cap. VII. De Enuntiationibus Modalibus. 189.
Oppoſitio, & Æquipollentia Modalium. 192.
Converſio Modalium. 198.
De Contingenti propriè accepto nonnihil. 201.
Advertenda quædam. 202.
Diſp. VI De Argumentatione, & præcipuè de Syllog. 204.
Cap. I. De Argumentatione, & Conſequentia ejus in communi. Ibid.
Quotuplex ſit Conſequentia? 205.
Pro bonâ Conſequentiâ Regulæ quædã general. 207.
Cap. II. Quotuplex ſit Argumentatio? 212.
Cap. III. De Materiâ, & Formâ, Figurâ, & Modo Syllogiſmi. 217.
Circa Figuras, & Modos dubitationes aliquæ reſolvuntur. 222.
Cap. IV. De Principijs, ac Regulis, quibus nititur vis Syllogiſtica. 227.
Regulæ Syllogiſmorum generales. 230.
Cap. V. De Reductione imperfectorum Syllogiſmorum ad perfectos. 235.
Reductio per oſtenſionem. 236.
Reductio ad impoſsibile. 238.
Cap. VI De Syllogiſmis Expoſitorio, Modali, & Hypothetico. 241.
De Expoſitorio. Ibid. De Modali. 242.
De Hypothetico. 243.
Cap. VII. Indicatur varietas Syllogiſmorum ex objecto proveniens: ubi de Fallacijs. 248.
De Syllogiſmorum fallacijs. 249.
Cap. ultimum. De Inventione Medij. 254.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
12.34.B.32
Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

LEGATORIA A. PANDIMIGLIO - ROMA -
1971

Digitized by Google